This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google books

https://books.google.com

DE
PLATONIS PARMENIDE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
AUCTORITATE

PRO SUMMIS

IN PHILOSOPHIA HONORIBUS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI

RITE ADIPISCENDIS

D. VII. M. SEPTEMBR. A. MDCCCXXXIII
HORA XI.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAROL. FRID. WERDER, 1806-

BEROLINENSIS.

OPPONENTIBUS:

A. HEYDEMANN, INSPECT. GYMN. FRIDR.-GUILELM.
M. SACHS, CAND. PHIL.
J. LEVY.

(RECAP)

BEROLINI,

TYPIS AUGUSTI PETSCHII.

[1833]

SCT
2740
.9797

SCT
2740
.9797

Digitized by Google

Digitized by Google

INTRODUCTIO.

Primus Parmenides Eleates id quod universae philosophiae est fundamentum, i. e. universale, ideam in purissima sua forma, ipsam quam vocant metaphysicam essentiam, in philosophiam introduxit, quod gravissima ejus sententia continetur, cogitandi essentiaeque notiones non esse diversas sed idem, quippe vera ratione nil nisi id exprimente, quod sit *); idemque prout hujus notionis necessitas postulavit, dialectice firmavit, omne fieri tollens. In hoc Platonis dialogo primum pariter atque apud illum, primariae atque summae illius identitatis quasi ad fastigium tendente consilio, vera philosophandi artis postulatio effertur, idea et arte dialectica tam alto

*) Parm. fragm. v. 95.
ταὐτὸν δ' ἐστὶ νοεῖν τε καὶ οὕνεκεν ἔστι νόημα·
οὐ γὰρ ἄνευ τοῦ ἐόντος, ἐν ᾧ πεφατισμένον ἐστίν,
εὑρήσεις τὸ νοεῖν· οὐδὲν γὰρ ἔστιν ἢ ἔσται
ἄλλο παρὲξ τοῦ ἐόντος.

Digitized by Google

jam gradu collocata, ut etiam fieri et Non-esse *) et statuatur et explicetur. Sic quasi splendidissimum in Parmenidis honorem exstruitur monumentum, quod philosophici progressus repraesentandi partes ei a Platone traduntur, qui philosophiae et fundamentum et locum vindicavit, quaestione de Uno gravissima et instituta et diligenter tractata.

---

*) Quamquam hoc quod attinet, si fragm. Parm. v. 98.

— — ἐπεὶ τό γε μοῖρ᾽ ἐπέδησεν,
οὖλον ἀκίνητόν τ᾽ ἔμεναι, τῷ πάντ᾽ ὄνομ᾽ ἐστίν,
ὅσσα βροτοὶ κατέθεντο, πεποιθότες εἶναι ἀληθῆ,
γίγνεσθαί τε καὶ ὄλλυσθαί, εἶναί τε καὶ οὐχί,
καὶ τόπον ἀλλάσσειν, διά τε χρόα φανὸν ἀμείβειν."

respicimus, cujus haec est sententia: periens et fieri quod dicatur, humano tantum animo tale *videri*, revera quum sit immobile —, non multum interesse videtur inter Parmenideam sententiam de gignendo et Platonicam. Neque hîc enim τὸ fieri, quoad fieri est, essentiam habet, sed valet idem quod: Οὐδ᾽ ὅπως (v. Theaet. p. 183.), et est tantum quoad essentiae participes est. Sed hoc ipsum cardinem progressus philosophici continet, quum Parmenides τὸ fieri prorsus neget, Plato autem veram ejus involutam vim aut quod idem valet, ejus cum essentia cohaerentiam arripiens, illud quasi e suis finibus educat, eoque supra se ipsum extollat. Eo mundus sensibilis majorem nanciscitur gravioremque vim ad aeternum bonumque tendendi: quod aeternum veram eius naturam constituit, sola specie obscuratum.

Digitized by Google

DE VI ET LOCO PARMENIDIS INTER PLATONICOS DIALOGOS.

Nimis multum tributum videtur argumento, quod Theaetetus tempore sit Parmenide serior scriptus, quasi summa inde efficiatur evidentia majorem illius esse perfectionem, temporis scilicet progressu majus etiam et dialogorum componendorum et rerum tractandarum artificium adferente: quod argumentum, ut fere in universum, quasi esset certissima lex normaque si qua unquam rata, solet urgeri, ita in Platone etiam majori cum jure videbatur adhiberi posse, quippe in quo ipsum illud ut summum appareat, quod nonnisi progrediendo ab altero ad alterum transeat. Cui placito sane suam veritatem nullus detrectaverim, cum judicio certisque sub conditionibus adhibito: minime vero tantam ejus puto veritatem esse, ut, nisi aliae accedant rationes, ex eo praecipue de majori minorive alicujus operis pretio possis ferre sententiam. Moneo hoc propter Schleiermacherum V. S., qui quum recte Parmenidis locum constituerit, tamen non satis

Digitized by Google

ejus ad sequentes dialogos et praesertim ad Theaetetum rationem videtur perpendisse.

Parmenidem igitur duplici ratione, loco ante Theaetetum, significatione certissime prae omnibus ante Sophistam dialogis recensendum esse ita fere mihi informo: Finem imponens primae dialogorum seriei, praestantissimus est omnium eorum, quos Schleiermacherus appellat elementarios; et si id, quod non perspicue quidem manifestans lectori explicandum relinquit, in dialogis quaestiones dialecticas absolventibus, in Sophista, Phaedone, Philebo perspicue explanatur, strictius proponitur, omnibus ex partibus absolvitur — minime hoc in Gorgia et Theaeteto accidit. Disquisitionibus in Parmenide, non quoque modo explicitis, vis dialogorum seriorum praeparatur; hi demum Parmenidi pares sunt, et id ad finem perducunt, quod in eo nondum plane explicatum lectori relictum erat.

Alia ex parte hic dialogus censendus est fundamentum constructionis totius philosophiae Platonicae; et quamvis ratio dialectica specierum ab eo proposita, etiam in Sophista plane explicetur, tamen in Parmenide fundamentum dialecticum omnibus ex partibus constitutum est, ut in nullo alio dialogo; et ut dialectica ipsa omnium reliquorum fundamentum est Platoni, ita et hic dialogus.

Theaeteto, cum Parmenide comparato, exoterica ut ita dicam, ratio est. Conspirat ut hoc efficiatur delectus et habitus personarum. Loco Parmenidis quamcunque hypothesin in omnes eius partes dialectice persequentis, Socrates dialogum dirigit, ironice, facete,

Digitized by Google

argute, poëtice; dialectice quidem et philosophice, sed non ita, ut ratio dialectica, gravitas methodi ac perfecta omnium elementorum explicatio summa sit totius dialogi. Hic potius agitur de certa re objecta, de quaestione, quid sit scientia? Trium ea de re definitionum propositarum unamquamque non esse aptam ei, quod definiendum sit, demonstratur. Quum tota philosophia Platonica in eo versetur, ut hanc quaestionem solvat, apparet id quod dialectica ratione in hoc dialogo ad hanc quaestionem conficiendam praestitum sit, negative tantum propositum esse, remotis scilicet *αἰσθήσει καὶ δόξᾳ*. Quod positive efficitur, praeclara philosophi delineatio est, quae quum *ἐπεισόδιον* tantum esse videatur, totum tamen quasi dux regit; ita ut summa hujus dialogi poëtica sit descriptio. Illae quidem rationes item omnino positive propositae sunt, quamvis non propositae esse videantur nisi negative. Quum in hoc dialogo demonstretur, scientiam neque „*αἴσθησιν*, neque *δόξαν ἀληθῆ*, neque *μετ' ἀληθοῦς δόξης λόγον προςγιγνόμενον*" esse; tum omnium horum graduum quemque deinceps explanat et cuique locum tribuit; tum discipulum usque ad scientiam ipsam *) adducit. pag. 199 d — c. apparet hoc cum maxime.

Quid vero sit scientia, hoc vere jam in Parmenide demonstratum est. Methodus disquisitionis, illic om-

---

*) ad pag. 200 c. *ἆρ' οὖν ἡμῖν καλῶς ὁ λόγος ἐπιπλήττει, καὶ ἐνδείκνυται ὅτι οὐκ ὀρθῶς ψευδῆ δόξαν προτέραν ζητοῦμεν ἐπιστήμης, ἐκείνην ἀφέντες. τὸ δ' ἐστὶν ἀδύνατον γνῶναι, πρὶν ἄν τις ἐπιστήμην ἱκανῶς λάβοι τί ποτ' ἐστί.*" confer Menonem ubi eadem res explanatur.

Digitized by Google

nibus ex partibus illustrata, facto illam quaestionem solvit.

Quid sit cognoscere non potest intelligi nisi quaestione: Quomodo cognoscatur, soluta. Via qua cognitioni progrediendum est, ipsa est cognitio. Quid vere *sit* finis ad quem ei perveniendum est, ita tantum manifestari potest, ut viam ad se ipsam *permeet*. Ratio dialectica secundum Platonis doctrinam verum est fundamentum, in quo scientia nascitur, eademque in Parmenide omnibus ex partibus demonstratur.

Quod minoris pretii hic dialogus est ea de re, quippe qui non sit nisi collectio elementorum cognitionis dialecticae, eo nemo niti potest ad majus momentum aliis dialogis vindicandum. In Theaeteto enim eadem elementorum collectio est, sed deest illa copia dialectica Parmenidea.

Quod vero regula, quae toti subjacet, non disertis enuntiatur, id minime prohibet, quo minus praesens sit et efficax. Et vero est enuntiata, quum totius dialogi sit fundamentum. Quod in Theaeteto tanquam singularis quaedam itemque summa quaestio proponitur, ad quam progreditur dialogus superatis formis minoris momenti, — in Parmenide in sincera disquisitione, specie Unius efficitur. Hoc exemplum philosophandi in Parmenide propositum norma, totum ac summum Platoni est. Id satis pronuntiatum est in prima illius dialogi parte. Methodus est philosophandi.

Alterae dialogi partes Theaeteto tributae sunt, cu-

Digitized by Google

jus indoles magis convenit cum ingenio juvenis quam illa a Socrate in Parmenide repraesentata. Hoc intelliget, qui cogitet, quae philosophiae eruenda esse Socrates in illo dialogo proponat; Theaetetus vero „partubus vanis *) liberatur". Theaetetus nondum scientiis imbutus est; sequitur potius indolem nondum exercitatam in quaestionibus philosophicis; versatur adhuc in schola mathematici. Socrates vero in Parmenide repraesentatus jam exercitus est in quaestionibus perscrutandis, et jam specierum naturam perpicere studet.

Tertias partes agit Theodorus mathematicus, qui satis mature „*ἐκ τῶν ψιλῶν λόγων πρὸς τὴν γεωμετρίαν ἀπένευσε*" p. 165, — qui, saepissime ad respondendum provocatus, semper prorsus denegat, omnemque rationem dialecticam a se alienam esse perhibet. Censuerit aliquis cum Schleiermachero **), Theodorum ideo saepius provocari ad respondendum, „ut lector eo magis animadvertat pauca illa quae de rebus mathematicis tractentur", ac minime nos hanc rem negaverimus; nam maximi momenti Platoni esse debet, ut ubique, quae censeat de rebus mathematicis, perspiciatur: sed alia potius causa in hac Theodori provocatione videtur latere: — scilicet, quod repraesentatur amicus defensorque Protagorae, et ut manifestum fiat, non solum juvenem, sed ne senem quidem scire quidquam.

---

*) Theaet. p. 210 b. *οἰκοῦν ταῦτα μὲν πάντα ἡ μαιευτικὴ ἡμῖν τέχνη ἀνεμιαῖα φησὶ γεγενῆσθαι, οὐκ ἄξια τροφῆς.*

**) Platons Werke. Vol. II. p. 1. p. 506.

Digitized by Google

— Quod idem Theodorus mathematicus est, hoc bene quidem praeter illam causam dialogo propriam eique maxime convenientem cum tota eius ratione conspirat.

Sed maximum momentum ad meam de dialogo sententiam explicandam locus in Theaet. p. 183. e. affert „*Μέλισσον μὲν καὶ τοὺς ἄλλους οἵ ἐν ἑστὸς λέγουσι τὸ πᾶν, αἰσχυνόμενος μὴ φορτικῶς σκοπῶμεν* *), *ἧττον αἰσχύνομαι, ἢ ἕνα ὄντα Παρμενίδην. Παρμενίδης δέ μοι φαίνεται τὸ τοῦ Ὁμήρου, αἰδοῖός τέ μοι ἅμα δεινός τε. συμπροσέμιξα γὰρ δὴ τῷ ἀνδρὶ πάνυ νέος πάνυ πρεσβύτῃ· καί μοι ἐφάνη βάθος τι ἔχειν παντάπασι γενναῖον· φοβοῦμαι οὖν μὴ οὔτε τὰ λεγόμενα ξυνιῶμεν, τί τε διανοούμενος εἶπε, πολὺ πλέον λειπώμεθα.*

Primum quidem ex hoc loco Theaetetum dialogum non ante Parmenidem, sed post eum scriptum esse, non ideo tantum, quod Socrates se aliquando una cum Parmenide fuisse tradat, percipi potest: — nam dixerit fortasse aliquis, Platonem, quum Socratem disputasse quondam cum Parmenide sciisset, hanc temporis mentionem fecisse quidem, sed non scripsisse dialogum Parmenidem ante Theaetetum; — verumtamen Plato, quum in Theaeteto illam Parmenidis disputationem accuratius describat, et ingenii sublimitatem gravitatemque Parmenidi insitam admiretur, et quam difficiles intellectu fuerint res a Parmenide praeceptae, tradat: hoc manifestissime illum arte dialectica gravissimum dialogum priore tempore esse conscriptum declarat.

---

*) Schleiermacher Platons Werke. II. 1. p. 502.

Digitized by Google

Deinde autem, ut ex hoc loco colligi potest, dialogum Theaetetum post Parmenidem scriptum esse; ita etiam majus huio dialogo, quam illi momentum tribuendum esse apparet.

Id continetur hisce verbis: *φοβοῦμαι οὖν μὴ οὔτε τὰ λεγόμενα ξυνιῶμεν, τί τε διανοούμενος εἶπε, πολὺ πλέον λειπώμεθα.* Hisce verbis significatur, in Parmenide rationem dialecticam multo graviorem et pleniorem esse, quam in Theaeteto illam juvenis „*ὠδῖνα καὶ μαίευσιν*". Illic systema quoddam dialecticum exponitur; hic agitur de adolescente examinando deque erudiendo eius ingenio, ita ut ducatur e rebus notis per gradus *αἰσθήσεως, δόξης ἀληθοῦς, μετ' ἀληθοῦς δόξης λόγου προσγιγνομένου* usque ad scientiam ipsam, illic omnibus ex partibus descriptam et perscrutatam.

Parmenides vero ut sequentibus dialogis quasi fundamentum est, ita et Protagoras priore tempore scriptus ad eum conferendus est, adeo ut Parmenides tanquam regula rerum in Protagora expositarum dialectica nominari possit. Nam non dixerim cum Schleiermachero in Protagora id explicari, quod in Parmenide omissum sit, cum Parmenides minime physica tantum, sed aeque physica atque ethica continere mihi videatur: quippe qui dialectica disquisitio de nexu specierum ideoqne logicum intelligendi fundamentum sit, ex quo quam verissime oriantur omnia.

Perscrutatio propria, in cujusque mente cogitandi genitrix, in Parmenide exposita, ut optimum auxilium est perveniendi ad rem ipsam, imo ut est

Digitized by Google

res ipsa; ita etiam intima et efficacissima communicationis ratio videtur esse; et omnis recta specierum divisio itemque res ethicae et disquisitio de virtute docenda, aeque atque omnis disciplina de ideis rerum participibus ideoque res physicae, in nexu specierum qui est scientia, positae sint necesse est.

Digitized by Google

DE NEXU PARMENIDIS FINEQUE EI PROPOSITO.

PARS PRIOR.

Quae sit significatio primae partis vel exordii ejusque ad ceteras dialogi partes ratio, perspicuum videtur, dummodo explicatio ab eo proficiscatur idque teneat, qui totius sit dialogi finis. Est vero hic notionum nexus dialecticus.

Et negante Zenonis dialectica, a qua incipit dialogus, quasi a praeterita quadam re et ne falsi oppositio desideretur, ut Schleiermacherus dicit, et Socratis inde orta majore postulatione verae artis dialecticae, et ex approbatione, quam accipit hoc postulatum a Parmenide, omnibus his et directe et indirecte finis dialogi significatur ac declaratur.

Non quomodo res cognoscantur earumque cum notionibus conjunctionem docere nostro dialogo propositum est, sed cognitionem ipsam. Nam ad illam quaestionem expediendam, nisi hac explicata, progredi posse neminem constat. Qua in necessitate interior disquisitionis exordiique conjunctio posita est; hanc ob rem statim de rerum ac notionum relatione agitur, et definitionum quae se offerunt ambiguitate, quid primum omnium explicandum sit, docetur, sc. notionum ipsarum nexus: quod perficit tum quaestio ipsa.

Positis his exercitationis dialecticae fundamentis, series dialogorum sequentium rationem in exordio prolatam accuratius explicans persequitur, donec praemium artis dialecticae adepta ad calcem pervenit genuinae identitatis, quoad huius naturam perspicere licuit Pla-

Digitized by Google

toni. Quae identitas eadem apparet in Platonis physica et ethica, sicut Parmenides utriusque fundamenta continet; contemplans enim notiones per se ipsas, illi altiori ac puriori cognitioni, atque hoc modo primitivae cognitionis et essentiae identitati, locum praeparat.

Incipit Parmenides eo, ut separationem specierum ac rerum a Socrate factam arripiat, duo illa a Socrate posita, species et ea quae illarum participia sunt. Recte quidem ponuntur duo illa, universale et singulare; sed ut postulari tantum possit Idem illud primitivum — hoc enim non posito inanis conjunctionum ac separationum lusus, qualis Zenonis ille, oritur — tenet Parmenides separationem similitudinis ipsius a similitudine quam nos habemus, eamque producit eo, ut maxima in conjungendis duobus illis difficultas intelligatur.

Stadia percurruntur haec. Declaratione de speciebus praemissa, ideo necessaria quod e speciebus altera conjungendorum pars constat — obscurior quidem illa est ut statim perspicitur, Socrate quid pro specie sit accipiendum ignoramte, quae de rebus contra dubitatio oriri non potest — qua eadem indirecta ratione declarantur species universalia esse omnium rerum; convertit se Parmenides ad excipiendi sive participandi modos.

Eodem jure quo species et res adhuc sibi vicissim alienae sunt, relatio totius ac partium ad eas affertur, et hac re earum conjunctio ne fieri possit efficitur. Socrates contra, quasi naturali quodam sensu, comparationem praeclaram proponit, quae re vera difficultatem tollit et conjunctionem servat. Haec sententia ei tribuitur, quia illud quod contendit *τὰ εἴδη αὐτὰ καθ' αὑτὰ* exsistere, verum est nullaque ratione alterum excludit; sed cum declarare nondum sciat neque

Digitized by Google

cognoverit nexum internum, quod ei opponebatur non nisi imagine et comparatione refutare valet. Laudat imaginem Parmenides aliamque opponit, quae e totius ac partium relatione repetita est, ut Socrates suam e vero nexu sumserat; vere igitur eam non refutat. Attamen probat Socrates, quamvis dubitanter. At cur probat? quia tantum imaginem attulerat; nexu scilicet *τοῦ ἑνός καὶ τῶν πολλῶν* nondum demonstrato, impedire non potest, quo minus vere posita diei imago a Parmenide corrumpatur, et divini diei pars cum vilis velaminis parte commutetur.

Tum pergit Parmenides „*οἶμαί σε ἐκ τοῦ τοιοῦδε ἓν ἕκαστον εἶδος οἴεσθαι εἶναι· ὅταν πόλλ' ἄττα μεγάλα σοι δόξῃ εἶναι, μία τις ἴσως δοκεῖ ἰδέα ἡ αὐτὴ εἶναι ἐπὶ πάντα ἰδόντι, ὅθεν ἓν τὸ μέγα ἡγεῖ εἶναι.*"

Hoc unum quod e *multis* in unum comprehensis prodiit, a sua origine degenerare non potest ideoque semper in relatione perseverat. Ex multis, ex rebus constructum non vere illud est, quod supra contrariis quibuscunque versans illa ac se ipsum creat et complectitur. Non habet vim se tanquam speciem servandi, et cum singulis phaenomenis concidit.

Quibus angustiis pressus, nexus statutus, quippe qui nondum dialectica arte explicatus sit, jam tolli coepit:

„*Ἀλλὰ μὴ τῶν εἰδῶν ἕκαστον ᾖ τούτων νόημα, καὶ οὐδαμοῦ αὐτῷ προσήκῃ ἐγγίγνεσθαι ἄλλοθι ἢ ἐν ψυχαῖς.*"

Huic graviter se opponit Parmenides, quod neutiquam negligendum est: nam illud maxime interest Platonis, ut rebus inesse species intelligatur.

Sed simul statim, quia propositum est dialogo, ut Socrates non nisi via et arte dialectica ad rerum et specierum societatem perducatur, iterum ea tollitur,

Digitized by Google

idque causa tamdiu tantum valente, quam nexus natura nondum explicata est. Res nondum pares sunt quodammodo speciebus sustinendis, quod vinculum summum nondum apparet. Sic quod oppositum est, sophisma alicui videri possit, cum illud „*τἆλλα νοήματα ὄντα ἀνόητα εἶναι*" quod verum est, contra veritatem i. e. nexum, accipiatur pro argumento. Sed veritas nondum explicata est, ac consentaneum est veritatem, ad quam juvenis sit ducendus, contra se ipsam facere testantem. Cui falsa videtur veritas, huic vere est falsa. Separatione rerum et specierum adhuc durante, earum nexum quamvis acerrime appetitum, Socrati absurdum videri necesse est. Talem societatem Platoni re vera ineptum aliquid esse, hic nullius momenti est.

Pergit Socrates, separata *παραδείγματα* et *ὁμοιώματα* esse definiens.

Excellentissime hoc a Parmenide refutatur, quia Socrates nondum intelligit, *quo modo* participatio illa fiat; similitudo certe non est societatis forma: (p. 132 d.) „*εἰ οὖν τι ἔοικε τῷ εἴδει, οἷόν τε ἐκεῖνο τὸ εἶδος μὴ ὅμοιον εἶναι τῷ εἰκασθέντι, καθ' ὅσον αὐτῷ ἀφωμοιώθη; ἢ ἔστι τις μηχανὴ τὸ ὅμοιον μὴ εἶναι ὅμοιον; Οὐκ ἔσι. Τὸ δὲ ὅμοιον τῷ ὁμοιῳ ἆρ' οὐ μεγάλη ἀνάγκη ἑνὸς τοῦ αὐτοῦ εἴδους μετέχειν; Ἀνάγκη. Οὗ δ' ἂν τὰ ὅμοια μετέχοντα ὅμοια ᾖ, οὐκ ἐκεῖνο ἔσται αὐτὸ τὸ εἶδος; Παντάπασι μὲν οὖν. Οὐκ ἄρα οἷόν τέ τι τῷ εἴδει ὅμοιον εἶναι, οὐδὲ τὸ εἶδος ἄλλῳ· εἰ δὲ μή, παρὰ τὸ εἶδος ἀεὶ ἄλλο ἀναφανήσεται εἶδος, καὶ ἂν ἐκεῖνό τῳ ὅμοιον ᾖ, ἕτερον αὖ, καὶ οὐδέποτε παύσεται ἀεὶ καινὸν εἶδος γιγνόμενον, ἐὰν τὸ εἶδος τῷ ἑαυτοῦ μετέχοντι ὅμοιον γίγνηται.*"

Quod simile factum est, id simile speciei sit oportet, ergo et species illi quod simile factum est. Simile

Digitized by Google

autem unius eiusdemque speciei necessario particeps est, cujus et illud cui simile est; at quo similia participantia similia fiunt, illud ipsa *species* erit — hic species postulatur ut conjungens, similitudinem constituens; sed jam desiit esse et ipsa facta simile quid; — igitur non potest quidquam speciei simile esse nec species alteri; nam praeter ipsam speciem species alia emergeret: quod si illa cuiquam sit similis, alia rursus, nec unquam progressus iste cessabit.

Quae optime docent, similitudinem categoriam esse relationis, ac prorsus alia ratione speciem singula comprehendere, et prorsus alia singula ab ea comprehensa teneri, quam relatione similitudinis. Sane quidem et singula similia speciei sunt et species singulis, sed haec non vera est singulorum ad speciem ratio. Ex hoc loco perspicitur, Platonem cum loquatur de exemplaribus ac simulacris, nequaquam sub categoria similitudinis ea cepisse. Multum aberat, ut hujusmodi principium philosophiae suae praeponeret.

Argumentatio hujus loci tam firma est, explicatio, quomodo species in finitum abeat et progressus oriatur in infinitum omni a veritate abhorrens, tam egregia, ut stet pro tota philosophia neque ulla unquam ratione refutari possit.

Tum pergitur sic: *ὁρᾷς οὖν,— ὅση ἡ ἀπορία, — εἰ ἕν εἶδος ἕκαστον τῶν ὄντων ἀεί τι ἀφοριζόμενος θήσεις; ὅση ἡ ἀπορία, ἐάν τις ὡς εἴδη ὄντα αὐτὰ καθ' ἑαυτὰ διορίζηται;* nam: *εἴ τις φαίη μηδὲ προσήκειν αὐτὰ γιγνώσκεσθαι ὄντα τοιαῦτα οἷά φαμεν δεῖν εἶναι τὰ εἴδη, τῷ ταῦτα λέγοντι οὐκ ἄν ἔχοι τις ἐνδείξασθαι ὅτι ψεύδεται.*

Hoc dicto Parmenidis: *quanta sit difficultas*, maxima adducitur separatio eo praeparata, quod res nec

Digitized by Google

similitudine nec accipiendo specierum participes sunt, sicut et hoc jam initio positum fuerat, cum societas amborum nondum intelligatur sed quaeratur. E qua separatione in duo discerni dicitur mundus pretio inaequalia, alterum perfectum et verum, alterum imperfectum atque vilem, non participantia sibi invicem, nec deorum hominibus neque hominum diis partem habentibus.

Hoc vero consequens erit, si quis unumquodque per se unam speciem semper separatam ponere velit, — scilicet vero ejus cum singulis nexu nondum perspecto.

Veruntamen redíens ad rem Parmenides addit: (p. 135 b.) *εἴ δή γέ τις — μὴ ἐάσει εἴδη τῶν ὄντων εἶναι, — μηδέ τι ὁριεῖται εἶδος ἑνὸς ἑκάστου, οὐδὲ ὅποι τρέψει τὴν διάνοιαν ἕξει, μὴ ἐῶν ἰδέαν τῶν ὄντων ἑκάστου τὴν αὐτὴν ἀεὶ εἶναι, καὶ οὕτω τὴν τοῦ διαλέγεσθαι δύναμιν παντάπασι διαφθερεῖ.*

Pergit tum: „Opera danda est dialecticis. *ἕλκυσον δὲ σαυτὸν καὶ γύμνασον μᾶλλον διὰ τῆς δοκούσης ἀχρήστου εἶναι καὶ καλουμένης ὑπὸ τῶν πολλῶν ἀδολεσχίας*" cum ex tua quam adhuc patefecisti cognoscendi facultate easdem semper ac per se exsistentes species — sunt eaedem semper ac per se exsistentes, sed eaedem quum sint non tamen *omnino* discretae inter se et a rebus — ostendere non potueris."

Ut ad hoc perveniatur, finis erat exordio propositus; quae sententia statim diligentissime definitur. Quaerit Socrates: „Quo hanc exercitationem instituam modo?" — cui Parmenides: „isto, quem a Zenone audisti". Cum autem Zenonis disquisitiones vix Platòni satisfacere possent, Parmenidem approbantem facit, quod So-

Digitized by Google

crates Zenoni dixerit: „non in iis quae oculis percipiantur *), cogitationem consistere oportere, sed ad ea adscendere, quae quis maxime ratione comprehenderet atque εἴδη esse putaret." Laudat quidem rationem Zenonis in universum, tanquam dialectici, sed significat etiam illam rationem mancam esse nec omnes rei partes exhaurire, quum ad ea tantum quae oculis subjecta sint pertineat; et vel sic quam imperfecte, hoc jam initio Socrates vituperavit, quod tanquam supplementum ad nostrum locum trahendum, cum hic Parmenides, Zenonis magister ac familiaris loquatur, eiusque vitium, ne mimicus dialogi habitus turbetur, lenius attingat.

Dialectica Zenonis a Platone tanti aestimatur quanti meretur. Et fine suo et consilio extra veram cognitionem adhuc versatur, ideoque est negativa: ex eo, quod contrarium esse non possit, ostendere studet, solum Unum esse. Cujus ipsius contrarium Plato vult hoc dialogo; quam ob rem Zenonis dialecticam vituperat Socrates, eidemque postulanti, ut species ipsae demonstrentur, assentitur Parmenides. Hoc enim in speciebus ipsis demonstrare nihil aliud est, quam quod Socrates initio verbis significat illis:

Ἐὰν δέ τις πρῶτον μὲν διαιρῆται χωρὶς αὐτὰ καθ' αὑτὰ τὰ εἴδη — εἶτα ἐν ἑαυτοῖς ταῦτα δυνάμενα συγκεράννυσθαι καὶ διακρίνεσθαι ἀποφαίνῃ, ἀγαίμην ἄν ἔγωγε θαμμαστῶς — et illis: *ἀλλ' εἰ ὃ ἔστιν ἕν, αὐτὸ τοῦτο πολλὰ* (non positum in re substrata,

*) Cave ne confundas hoc cum nexu rerum ac specierum quem supra memoravimus. Nostro loco hoc tantum dicitur, rei quae oculis percipiatur ideoque variae, facilius contrarias notiones tribui posse, quam speciei ipsae. Illa quaestio, quomodo specierum res participes sint, prorsus alia est atque hos fines excedit.

Digitized by Google

sed *ipsum*, *eademque ratione* multa) *ἀποδείξει τις καὶ αὖ τὰ πολλὰ δὴ ἕν, τοῦτο ἤδη θαυμάσομαι.*

Sed modus negandi, ratio, qua contraria explicabat tollebatque, quam arguta et ingeniosa fuerit, sententiae eius quae ad nos pervenerunt, docent, et hanc ob rem Plato Parmenidem facit dicentem: *οὗτος ὅν περ ἤκουσας Ζήνωνος.* Propter hanc formam dialecticam, cuius inventorem eum dicere possis, (indeque revera Palamedes Eleaticus appellatus est), — propter hanc igitur formam in universum hic commendatur. Haec methodus dialectica omnia disquirendi a Platone commendatur, sed alium in finem ideoque revera alia eaque sublimiori sub forma.

Itaque tum Parmenides p. 136 H. St. rationem docet, *qua* quaerendum sit, — Socrates illud *quid* sit quaerendum, proposuit — *χρὴ δὲ καὶ τόδε ἔτι πρὸς τούτῳ ποιεῖν, μὴ μόνον εἰ ἔστιν ἕκαστον ὑποθέμενον σκοπεῖν τὰ συμβαίνοντα ἐκ τῆς ὑποθέσεως, ἀλλὰ καὶ εἰ μὴ ἔστι τὸ αὐτὸ τοῦτο ὑποτίθεσθαι . . . . εἰ πολλά ἐστιν, τί χρὴ συμβαίνειν καὶ αὐτοῖς τοῖς πολλοῖς πρὸς αὑτὰ καὶ πρὸς τὸ ἓν καὶ τῷ ἑνὶ πρός τε αὑτὸ καὶ πρὸς τὰ πολλὰ· καὶ αὖ εἰ μή ἐστι πολλά, πάλιν σκοπεῖν τί συμβήσεται καὶ τῷ ἑνὶ καὶ τοῖς πολλοῖς καὶ πρὸς αὑτὰ καὶ πρὸς ἄλληλα . . . . καὶ ἑνὶ λόγῳ, περὶ ὅτου ἂν ἀεὶ ὑποθῇ ὡς ὄντος καὶ οὐκ ὄντος καὶ ὁτιοῦν ἄλλο πάθος πάσχοντος, δεῖ σκοπεῖν τὰ συμβαίνοντα πρὸς αὑτὸ καὶ πρὸς ἓν ἕκαστον τῶν ἄλλων, ὅ τι ἂν προέλῃ, καὶ πρὸς ξύμπαντα ὡσαύτως· καὶ τἆλλα αὖ πρὸς αὑτά τε καὶ πρὸς ἄλλο ὅ τι ἂν προαιρῇ ἀεί, ἐάν τε ὡς ὄν ὑποθῇ ὅ ὑπετίθεσο, ἐάν τε ὡς μή ὄν, εἰ μέλλεις τελέως γυμνασάμενος κυρίως διόψεσθαι τὸ ἀληθές.*

Quae disquirendi ratio alterum primae partis momentum est, gravius etiam altero quod postulationem

Digitized by Google

Socratis continet, cum iam in eo, qua ratione disquirendum sit, quodammodo expleatur. Hac enim ratione omnia illius problematis elementa continentur, quae tantum jungenda sunt, ut forma evadat, quae illi Socratis postulationi omni modo satisfaciat.

Quatenus dialogus hoc perficiat videbimus.

PARS ALTERA.

I.

A. Quod attinet ad primam hypothesin: *εἰ ἕν ἐστιν, ἄλλο τι οὐκ ἂν εἴη πολλὰ τὸ ἕν* — Platonis sententia haec est: in sui contrarium omnino non potest abire. Sed ea vi qua in hypothesi sumitur, prorsus ab omnibus praedicatis vacuum, adeo non est verum, ut omnino non sit.

Unum huius hypotheseos non est illud, extra quod nullum se praebet aliud, quippe quo omnis varietas et singularitas comprehensa evanuerit, quodque nihil habet sibi oppositum — sed id, quod omnibus praedicatis et notionibus repulsis, tanquam incogitabile Nihil cognoscitur.

Tria sunt *εἴδη*, quibus prorsus exutum, omnibus omnino speciebus vacuum est. Primum *τά πολλά*. Sic neque partes habet, neque totum est, et hac ratione omnia spatii attributa perdit. Secundum *τὸ ἕτερον*; tertium *ταὐτόν*. Ex his elucet, nihil omnino ei relinqui quam esse Unum; excludit similitudinis et aequalitatis atque omnes temporis notiones et una cum his omnem essentiam et exsistentiam.

Verum Unum Platoni supra omnem oppositionem sublime neque temporis conditionibus obnoxium esse, nihil pertinet ad hypothesin nostram. Huius hypo-

Digitized by Google

theseos Unum id, quod debet, patitur, fitque quod est, nihil.

Quantum intersit Platonis, et naturam specierum ipsarum, quibus quasi cardinibus disquisitio vertitur, explicare, in hac prima dialogi serie praecipue de ὁμοίῳ et ἀνομοίῳ, de πρεσβυτέρῳ et νεωτέρῳ quae tradit, satis docent: secunda fere tota. Quae omnia temere et absque consilio adjecta viderentur, si id tantum philosophus agere voluisset, ut sitne Unum necne quaereret.

Nec tantum de singulis quibusdam notionibus, ut de iis quas supra posuimus, hoc valet, sed de omnibus et de toto quaestionis complexu. Iis enim hypotheseos verbis, quibus strictissime comprehensum est argumenti caput: „ἀλλὰ μὴν εἴ τι πέπονθε χωρίς τοῦ ἓν εἶναι τὸ ἕν, πλείω ἂν εἶναι πεπόνθοι ἢ ἕν." finem suum assecuta est series. Omnes has notiones quarum particeps esse Unum sigillatim negat, Uni ipsi nihil quidquam adferre, quam ipsum illud Nihil, quod illa hypotheseos explicatio jam complectitur, et ex eo patet, quod omne attributum ac modus, qui ei ut praedicatus impertiri quodammodo videtur, ex. gr. infinitum, immobile etc. aeque ut hypothesis ipsa eo excluditur, quod revera in hypothesi nihil aliud inest, quam illud Nihil, quod neque definiri neque cogitari neque nominari possit.

Quod Socrates in exordio „admiratione dignum" profert: ἐν ἑαυτοῖς ταῦτα (τὰ εἴδη) δυνάμενα συγκεράννυσθαι καὶ διακρίνεσθαι — hoc est ille quem Plato appetit, disciplinarum et artium nexus, qui ei in specierum societate earumque in communione inter se ipsarum consistit.

In prima serie species τοῦ ἑνός, τῶν πολλῶν, ταύ-

Digitized by Google

τοῦ, τοῦ ἑτέρου modo pro earum inter se diversitate considerantur, eiusque quod Socrates de secernendis speciebus supra proposuerat, initia sunt facta. Nam ex Platonis methodo ut specierum ad communionem perveniri possit, nulla melior inveniri potest via, quam ut illum secernendi actum, quantum eius fieri possit, peragamus, singula etiam et minima, quae inde effici possunt, ad extremum usque persequamur.

* * *

De dialectica via *), qua prima series incedit, haec fere notanda videntur.

Totam quaestionis Platonicae naturam ignorantis est statuere, dialogi methodum esse sophisticam. Quod vocabulum si quis urgere velit, concedendum erit, omnino et hypotheseos et omnium earum positionum quae cum ea conjunguntur, esse indolem veram et rationem, ut sophisticae esse appareant. Quod si sophisticum illud est, quod consulto a veritate aberrat: etiam mentis categoriae, imperfectae illae et mancae, quae in unam rei partem se immergentes, totam et veram eius vim comprehendere nequeunt, et tamen speciem dignitatemque veritatis sibi arrogare affectant, erunt sophisticae appellandae. Has igitur vera ratio ad rationem reddendam expostulans, nihil aliud quam jus in eas exercet, poenasque repetit debitas, eas suo ipsarum modulo metiens: in ipso sophismate sophisma illud esse demonstrat: nec quisquam, nisi qui parum sit exercitatus, ipsam rationem esse sophisticam in ani-

---

*) Pari modo Parmenides jam in priori dialogi parte argumentatur, quamvis non ea constantia argumentorumque necessario connexu, scilicet quaestione assultim ingrediente, temereque modo hanc modo illam quaestionis solvendae rationem arripiente.

Digitized by Google

mum inducet, quum ea tantum causa sit et effectrix, illarum sub ea specie conspiciendarum, quam vere habent.

Idem de nostra etiam quaestione dictum esto. Si Unum est unum, i. e. nil nisi Unum — quod revera esse non potest *), quam suam naturam igitur modo mentitur, speciem prae se ferens eius quod non est — non est multa. Qua imperfecta mentis positione, quae omni relatione et temporis et spatii et essentiae et nominis nudata sumitur, in *Nihil* abit Unum; quod prorsus fieri nequit, quum *sit* tanquam Unum; *sit*, quippe quod nomen habeat.

Ut Unum ad spatii et temporis notiones referretur, eo effectum erat, quod omnibus praedicatis a se repulsis, illis *contrarium* se praebuit ideoque *finitum*.

Restat ἡ φύσις ἐν οὐδενὶ χρόνῳ οὖσα. Quum Plato Uni essentiam derogat, quippe a quo tempus omnino alienum sit, hoc ob id ipsum fit, quod omnibus praedicatis carens sumtum fuerat. Nulla enim prorsus essentia in Unum cadente — ipsaque aeternitate, si de eo praedicaretur, plus jam involvente quam ipsa Unius natura patitur, τοῦ ἐν οὐδενὶ χρόνῳ ὄντος ne mentio quidem fit. Tempore autem negato eius essentia tollitur, quod tanquam mera unitas, sublata multitudinis notione, citra veritatem ponebatur.

Quod si quis in hac dialogi parte de Eleatis judicium deprehendere sibi videretur, deque Parmenideo

---

*) Locus primarius e quo apparet, unitatem et oppositum alterutrum per se solum quasi esset verum ὄν statutum, non habere veritatem, est Plat. Soph. p. 245 d. καὶ τοίνυν ἄλλας μυρίας ἀπεράντους ἀπορίας ἕκαστον ἐλληφὸς φανεῖται, τῷ τὸ ὂν εἴτε δύο τινὲ, εἴτε ἕν μόνον εἶναι λέγοντι.

Digitized by Google

illo: *τὸ γὰρ πλέον ἐστὶ νόημα* cogitaret; nae ille parum videtur reputasse, hic omnibus ceteris e quaestione omissis, Platoni demonstrandum propositum fuisse quantum laboret ea cogitandi ratio, quae rei veritate neglecta, ad unam eius arbitrariam partem temere se convertit, in eaque se defigit.

Sed qui fit ut nullum praedicatum ei relinquatur, quum tamen quod supra diximus, eorum orbem intraverit, iis se opponendo? Quod *aeternitatem* simulat: hanc appetens, majori etiam inopia premitur, quam ipsum finitum. Quodcunque finitum in relatione est, *aliudque*, ad quod habet relationem, semper possidet. Sed Unum e relatione ad aliud, ex sui ipsius natura egressum est, ideoque quod solum habuit, amisit, Unum esse, fitque Nihil.

Huius quaestionis artificium laudibus tollere, nihil attinet. Perfectum est specimen legitimi progressus dialectici, quo id efficitur, ut sophismata *deleantur*.

* * *

In ipsa hypothesi statim initio quaestionis elementa externe esse sumta notandum est.

Unum *et* multa — utrumque quasi jam praebitum et factum tractantur; *quo modo ex uno fiant multa*, quae sit Unius interna ad multa relatio, id quidem ut dialogi terminos excedens non quaeritur; sublimius hoc est dialectices problema, quod solvi non poterat, nisi quaestionis via inflexa, ne dicam turbata; in ea solvenda occupato vix aliter agendum fuisset, quam ceteris minoris momenti quae in quaestionem erant vocanda, neglectis aut plane relictis, ut quibus jam non amplius esset opus.

Ita prima series nil nisi exercitationem habet dia-

Digitized by Google

lecticam, ut animus ad colligenda dialectices elementa instituatur.

* * *

Transitus e prima in secundam seriem hic est:

Quamquam Unum per dialogi progressum eo est perductum, ut purum putum fiat Nihil, semper *esse* illud dicebatur: *εἰ ἕν ἐστι.* Ita jam ad ultimum perventum, extremas quasi recolligit vires, ut hanc de se praedicatam *essentiam* obtineat. Quod ut unum *ἔστι*, eius est natura, quam eo tantum amisit, quod quum omnibus omnino notionibus et praedicatis spoliaretur, illud quoque *ἔστι* non poterat retinere. Nunc vero ubi est in eo, ut plane negetur, seque ipsum, ut ita dicam, amittat: antea de se tamen aliquid fuisse praedicatum recordans, *esseque* se fuisse concessum, hoc ipsum explicare studet, i. e. differentiam, quam habet in se, Unum et Essentiam. Cuius differentiae exponendae altior causa ea est, quod *Nihil* ipsum est positio differentiamque involvit; haec tamen causa hic quidem tecta latet, in dialogi decursu tandem apparitura. Hic hypothesis tantum retinetur, jam jam sublata neque amplius locum habens. Externa quadam ratione: *iterum* percurrendae seriei periculum fit, hypothesi *accuratius* observata, quae imperfecte tantum antea tractata, Unum in *Nihil* ut abiret effecit.

B. In serie secunda quae plurimam cum difficultatem tum exercitationem praebet, offertur Unum sub forma relationis sive transitus positum; quocum id necessario conjungitur, quod Plato *τὸ τρίτον* appellat, seriei decursae coronidem imponens, transitusque ipsius naturam perscrutans.

Digitized by Google

Nexum specierum illum, cuius lex in Sophista ac Phaedone proponitur, hic in motu quasi suo versantem*) videmus. Omni modo „secernendi ac miscendi" negotium exercetur. Statim hypothesis Unum ita proponit, ut essentiae particeps sit; duabus initio e speciebus proficiscitur oratio, simulque his cum duabus, quae conjungendae sunt, adest categoria *τοῦ μετέχειν*. Tres species, *τὸ ἕν*, *τὸ εἶναι*, *τὸ ἕτερον* offeruntur, ut quaeque earum fixa est contra ceteras; omnesque *tanquam fixae* et in discretione ipsa inter se commixtae — quae rationes in Sophista rursus resumuntur, ubi earum natura vera constituitur.

Quod jam supra dixi: hic omnia in transitu versantur. Causa, motus harum notionum effectrix et regula in ipso motu ostenditur, non sub legis forma effertur. Qualis sit specierum ex alia in aliam transitus docetur; tum quoque, qua ratione quaeque sua in parte id solum sit quod sit; evanescunt enim atque abeunt alia in aliam — rursus vero etiam nascuntur ex alia alia.

Fundamenta ponuntur quaestionis notiones quales sunt: „*τὸ εἶναι* et *τὸ ἕτερον*, quae per omnia et per se invicem pertinent: sic enim placet Platonicum — *καὶ τό τε ὂν καὶ θάτερον διὰ πάντων καὶ δι' ἀλλήλων διεληλυθότα* Soph. 259 a." reddere. Ex harum societate, ad quam Unum accedit, hic multitudinis et numeri species explicatur, id quod Plato ita exprimit: *ἐπὶ πάντα ἄρα πολλὰ ὄντα ἡ οὐσία νενέμηται* — tum: *οὐ μόνον ἄρα τὸ ὂν ἕν πολλά ἐστιν, ἀλλὰ*

*) In priori serie exclusionis illud: „neque-neque" regnat, quod in universum Eleaticae dialectices proprium est imperfectae; hic eius contrarium: „*et-et*", i. e. Unum est omnia, ad multitudinem infinitum, forma praeditum; Intra oppositionis fines omnia est Unum.

Digitized by Google

καὶ αὐτὸ τὸ ἓν ὑπὸ τοῦ ὄντος διανενεμημένον πολλὰ ἀνάγκη εἶναι. p. 144. Bip.

Adjunguntur relationes *τοῦ ἑνὸς καὶ τῶν πολλῶν*, totius ac partium — tum motus et quietis, tum eiusdem et alterius, omnia denique quae cum his connexa sunt.

Ut species *ταὐτοῦ καὶ τοῦ ἑτέρου* in prima serie Uni quum convenire negarentur, id effecerunt, ut strictissime, quae hypothesis posuerat minus accurate, appareant, sic itidem in hac secunda. Sunt seriei huic propriae et immanentes species, atque in iis transeundi actus se ostendit per omnes quarum fieri compotes possunt varietates.

In primis animum advertamus oportet ad locum, p. 147.*) quo ex *Altero* ipso gignitur *Idem*. Id dici non potest quanti sit momenti; quod non intellectum omnis verae cognitionis absentiam creat, vera sua vi acceptum explicitisque iis quae involvit, internam specierum naturam aperit. Hic quoque ad Sophistam ablegamus, ex quo intelligitur, et speciem cui inhaerent *τὸ ἕτερον καὶ ταὐτόν*, et *τό ἕτερον καὶ τ.* contra se ipsa invicem, id manere quod sint unumquodque, alia contra alia — nulla identitatis habita ratione, qua Plato jam ea comprehendisse videtur. Manent quod pro natura primitiva sunt; quae patiuntur, patiuntur *μετοχῇ* idearum ceterarum, non ex propria sua natura, qua eae tantum monades sunt quae sunt.

Et quod attinet ad eam qua species per se ipsae distinguuntur, rationem, locus ille memorandus est, ubi par-

*) *οὐκοῦν ᾗ ἕτερον εἶναι πέπονθε τῶν ἄλλων, καὶ τἆλλα ἐκείνου ὡσαύτως, ταύτῃ ταὐτόν ἂν πεπονθότα εἴεν τό τε ἓν τοῖς ἄλλοις καὶ τἆλλα τῷ ἑνί.*

Digitized by Google

parvitas et magnitudo explanantur. Fit hoc omnino jam eadem ratione qua serius in Phaedone — nimirum quod pertinet ad species distinguendas. Quod nostro loco, quippe quo ut aequalitatis notio gignatur efficiendum sit, gravissimum illud: „res illarum monadum participes nomina accipere“ *) omittitur, nihil ad rem pertinet; conclusione enim proxima est unum et majus et minus. Consilium erat simul de natura magni ac parvi monendi; quo enim severius res objecta separatur a magno et parvo, eo clarius apparet earum ad se relationis vis.

Ubi in ea dialogi parte, quam *τὸ τρίτον* Plato appellat, quaestio de Uno eo comprehenditur, ut Unum sit et multa idemque rursus neque Unum neque multa, perspicuum est, hoc „neque-neque” itidem respectu seriei absolutae dici. Illud ipsum in transitu Versari hoc significare vult, id quod fluit, quod non sub hac non sub illa conditione perseverat.

Hic igitur dialogus fastigium attingit, ubi communio cum tempore, qua Unum in *μεταβολῇ* augetur, per se capitur, et tanquam omnium transituum forma primaria consideratur. Haec species regula et quasi filum est per labyrinthum percursae seriei.

Si tenemus illa duo ex Phaedone praecepta, primum p. 71. a *Ἱκανῶς οὖν ἔχομεν τοῦτο, ὅτι πάντα οὕτω γίγνεται ἐξ ἐναντίων τὰ ἐναντία πράγματα — καὶ (εἰσὶ) δύο γενέσεις ἀπὸ μὲν τοῦ ἑτέρου ἐπὶ τὸ ἕτερον, ἀπὸ δ' αὖ τοῦ ἑτέρου πάλιν ἐπὶ τὸ ἕτερον.* Quae disputatio nostram in Parmenide totam excipit atque ulterius promovet —. (Verumtamen, quod notandum, (p. 103. b.) *ὅτι αὐτὸ τὸ ἐναντίον ἑαυτῷ ἐναντίον οὐκ*

*) cf. Phaedonem p. 102. a. 103. b.

Digitized by Google

ἄν ποτε γένοιτο οὔτε τὸ ἐν ἡμῖν, οὔτε τὸ ἐν τῇ φύσει· τότε μὲν γὰρ περὶ τῶν ἐχόντων τὰ ἐναντία ἐλέγομεν, ἐπονομάζοντες αὐτὰ τῇ ἐκείνων ἐπωνυμίᾳ· νῦν δὲ περὶ ἐκείνων αὐτῶν ὧν ἐνόντων ἔχει τὴν ἐπωνυμίαν τὰ ὀνομαζόμενα —).

Tum alterum p. 102. e. *οὐδὲ ἄλλο οὐδὲν τῶν ἐναντίων, ἔτι ὂν ὅπερ ἦν, ἅμα τοὐναντίον γίγνεσθαί τε καὶ εἶναι· ἀλλ' ἤτοι ἀπέρχεται ἢ ἀπόλλυται ἐν τούτῳ τῷ παθήματι.* hoc altero idem quod nostro loco exponitur p. 155: *ἐν ἄλλῳ ἄρα χρόνῳ μετέχει καὶ ἐν ἄλλῳ οὐ μετέχει τῆς οὐσίας τὸ ἕν* — comprobari et comprehendi videmus. Pariter hoc de primo intelligimus, nam utrum: *res*, ut insunt *rebus* ideae, dicatur, an: contraria in transitu versantia sub temporis conditione, idem valet. Notio temporis est transitus contrariorum et fluctus rerum.

Haec seriei secundae significatio et natura est. Haec, quatenus una ex parte Unum sub notione temporis positum in transmutationis motu proponitur et lectori offertur, primam tantum supplere videtur; sed altera ex parte: p. 156. *χρόνος δέ γε οὐδείς ἐστιν ἐν ᾧ τι ὅιόν τε ἅμα μήτε κινεῖσθαι μήθ' ἑστάναι — ἀλλ' οὐδὲ μὴν μεταβάλλει ἄνευ τοῦ μεταβάλλειν.*

Sic igitur series secunda quodam modo supra se ipsam extollitur. Principium enim et fons ipsius temporis speciei, qui ipse in tempus non cadit, invisibilis natura ipsa, quae ut fundamentum ita fastigium totius est, capitur.

C. Hoc est ad quod prima series adspiravit attingendum, quodque secundae quoque subjacet, id quod a Parmenide *τὸ ἐν χρόνῳ ὀυδενὶ ὂν* egregie vocatur. Unum, vicissitudine et mutatione, tempore, cogitatione,

Digitized by Google

forma, explicatione, omni suo contrario exemptum, ut divinum oculis non subjectum vitae quasi germen, quod omnia contraria gignit.

Quae hic infertur essentiae notio, ea plane est diversa ab illa, quae adhuc per dialogum dominabatur. Omnia quibus Unum antea aut praeditum erat aut carebat; prout *in tempore* esse aut non esse dicebatur, negata erant aut tributa. Id de gravissimis quoque praedicatis valet, de explicatione, cogitatione, cognitione, nomine. Quum *τοῦ ἐξαίφνης* essentia non sit in tempore, *nullum* potest illorum praedicatorum nunc amplius ei tribui, sed sublimiori sensu, quoad *omnia* eo comprehenduntur.

At *τοῦ ἐξαίφνης* Unum aliquam tamen habet positionem: *τὸ ἐξαίφνης* enim est categoria, quae habet explicationem, cogitari potest et cognosci. Verum e natura sua illam positionem non habet, sed tantum in speciem. Unum enim in hac *τοῦ ἐξαίφνης* categoria nec Unum esse nec multa dicitur; est igitur Unum quod non est Unum, *ἄτοπον* hinc a Platone vocatum: quod ut ipsum *ἐν ἀτόπῳ* est, ubi cum *τοῦ ἐξαίφνης* categoria conjungitur, sic hoc ipsum est *ἄτοπον* ad omnia praedicata quae ei tribuuntur, igitur ad nomen ipsum, cogitationem, explicationem, cognitionem. Huius categoriae fundamentum est *τὸ ἄτοπον*.

Hoc continetur, veritatem ipsam esse adhuc involutam, id, quod omnibus omnino praedicatis careat, ita quidem, ut omnia in illud cadant, sed ipsum omnibus sit exemptum.

Qui transitus est quasi vis vitalis, qua omnia contraria id fiunt quod sunt; nisi enim transitus esset, nec oppositio oriretur nec differentia; qui tamen transitus ipse in nullam rem aliam abit, sed supra quasi

Digitized by Google

volat, cui omnia manent aliena, humi posita, quodque sibi ipsi ideo alienum est, *ἄτοπον* per ipsam suam naturam.

Hoc est ultimum et summum quod ad Socratis postulatum responderi potest; ex hoc dialogi quasi fastigio omnia sunt dispicienda.

Utut videri hic potest *τὸ ἐξαίφνης* ut positivum statui, scilicet ut id, quod extra sit tempus positum, *τὸ ἐν οὐδενὶ χρόνῳ ὄν*, ut transitus, tamen haec positio - nihil enim positioni subtrahere se potest — summa est omnium negatio *) ideoque et ejus (positionis) quae statuta erat. Hoc sensu acceptum quo hic, purus ut sit transitus, diremtum et solutum ab omnibus praedicatis, *Vacuum* est; sed illud vacuum quod „fons motus et cognitionis" est, ea natura, cujus vim et ambitum nec Plato explicavit ideoque nondum vere cognovisse apparet. Illud veram dialogi indolem involvit, quam ob rem apparere tantum in eo adumbratam quasi imaginem dialectices dicere possumus, ipsa veritate nondum se manifestante. Ex hoc puncto quasi e fonte philosophiae et scientiae copia elicienda erat.

* * *

---

*) pag. 156. 157. *Καὶ τὸ ἓν δὴ εἴπερ ἕστηκέ τε καὶ κινεῖται, μεταβάλλοι ἂν ἐφ᾽ ἑκάτερα· μόνως γὰρ ἂν οὕτως ἀμφότερα ποιοῖ· μεταβάλλον δ᾽ἐξαίφνης μεταβάλλει, καὶ ὅτε μεταβάλλει, ἐν οὐδενὶ χρόνῳ ἂν εἴη, οὐδὲ κινοῖτ᾽ ἂν τότε, οὐδ᾽ ἂν σταίη. Οὐ γὰρ. Ἆρ᾽ οὖν οὕτω καὶ πρὸς τὰς ἄλλας μεταβολὰς ἔχει, ὅταν ἐκ τοῦ εἶναι εἰς τὸ ἀπόλλυσθαι μεταβάλλῃ ἢ ἐκ τοῦ μὴ εἶναι εἰς τὸ γιγνεσθαι· μεταξύ τινων τότε γίγνεται κινήσεών τε καὶ στάσεων, καὶ οὔτε ἔστι τότε οὔτε οὐκ ἔστιν, οὔτε γίγνεται οὔτε ἀπόλλυται; Ἔοικε γοῦν· Κατὰ δὴ τὸν αὐτὸν λόγον καὶ ἐξ ἑνὸς ἐπὶ πολλὰ ἰὸν καὶ ἐκ πολλῶν ἐφ᾽ ἓν οὔτε ἕν ἐστιν οὔτε πολλά, οὔτε διακρίνεται οὔτε συγκρίνεται· κτλ.*

Digitized by Google

De dialectico seriei secundae progressu haecce fere notanda sunt. Progressus iterum oritur a toto et partibus et decurrit per eadem praedicata ac progressus primae seriei.

Noli negligere rem maximi momenti; nimirum Uni semper duo horum praedicatorum, semper praedicatum finitum cum contrario attribui. Hoc modo nullum praedicatum ei tanquam finitum attribuitur, sed ita ut sublatum in eo per contrarium suum sit, quod et ipsum ei convenit.

Unum non solum alterum horum duorum praedicatorum, ex. c. simile etc., sed idem alterum est, ex. c. dissimile. Quum sit utrumque, non amplius est alterutrum. Ut Unum in utraque forma appareat, abstractione, judicio ad unam tantum rei partem spectante, tenetur tam in altera quam in altera; cum sit non minus altera quam altera, nihil amplius ei attribui potest nisi quod unam tantum partem spectat, et progressus eodem tantum modo, etsi placet sophistice, perficiatur licet.

Consentaneum est, ut res de qua quaeratur, sc. Unum natura sua oppositum sit, item hunc progressum ex propositionibus prorsus contrariis contraria concludere.

Turbetur fortasse aliquis ea re, quod talia praedicata qualia sunt totum et partes, aequale, simile et dissimile; et magis forte ideo, quod talia qualia minus et majus aetate etc. cum Uno conjungantur. (In „majore et minore aetate" Platoni notio temporis inest, et in „motu et quiete" notio spatii.) Praedicata hujus modi Plato Uni attribuit cum eam ab causam, quod ejus naturam quam strictissime concipere et determi-

Digitized by Google

nare non valet; tum quod Unitas forma omnium specierum est.

Etsi huic progressui sophismata*) inesse videntur; tamen hoc vitium hocce modo accuratius perscrutatum tollitur.

Quum Uni quodque praedicatum per se attribuatur non simul altero cum praedicato, quocum par efficit, prorsus conjunctum, sed ita ut realitate careat; illud praedicatum ei secundum naturam suam unam tantum partem spectantem et secundum arctum suum ambitum, non vere impertitur. Quodcunque par non per se ipsum intra se in se ipsum transit, ita ut unitatem efficiat propriam rationi binarum eius partium: sed in Unum, quippe in speciem unitatis cuiuscunque, tanquam in centrum suum ac basin, quaeque pars, altera omissa, ex se progressa dissolvitur.

At singulis praedicatis nihil derogatur. Ita comparata sunt, ut dissolvantur in unitatem. E contrario ea, quâ sint discreta, adhuc nimis stabilia esse dixerimus.

Coëunt quidem ex quaque parte in Unum, attamen non hoc praecipue spectatur, quod hac re non amplius in eadem firma oppositione manent qua antea, sed in speciem tantum; utrumque potius, conjunctione neglecta, in sua parte consistit, quod non per se in-

---

*) Ad hanc rem probandam, praecipue finem hujus seriei conferendum censueris. Ut probetur unum tum ipso tum τοῖς ἄλλοις et majus aetate et minus et esse et fieri et non esse et non fieri, transitus fit ex notione quantitatis, ex indifferentia discriminis ad qualitatem sc. ad motum ac permutationem. Ut utraque suppositio concludendo oriatur, tum haec tum illa categoria arbitrio adhibetur. p. 154. 155.

Digitized by Google

vicem transit in unitatem, sed utrumque per se separatum.

Neque vero Uni nimium derogatur. Nam omnia habent praedicamentum discriminis, ideoque praedicamentum Unius. Dici quidem potuerit, et Uni et multis nondum satis derogari, et altera ex parte parum attribui, quod non per se ipsa explicantur, tolluntur, conjunguntur *).

D. E. Quarta et quinta dialogi pars in quae-

---

*) pag. 150. ut demonstretur τὸ ἓν καὶ τἆλλα aequalia esse, argumentatio Unum omittit, et species parvitatis et magnitudinis per se ipsae (una tantum ex parte spectatae) — id quod referendum ad primam partem p. 131 — efficiuntur eo quod hae ipsae notiones separantur a rebus. Ut et hoc de prima parte moneamus, dicamus, jam ea ipsa re, quod notiones illae, tanquam parvitas et magnitudo rebus opponantur, separationem perfectam esse et rationem totius et partium mechanicam id tantum demonstrare quod jam exsistat; ita ut sparatio prius proposita tantum perficiatur. Id in quo separatio versatur et quod ad illam demonstrandam efficitur, est, quod species aequalitatis, magnitudinis, parvitatis, quaeque per se discreta exsistunt, relatione earum omissa; id ideo proponitur, ut negentur applicari ad totum aut ad partes — relatio vero posterius demonstratur tanquam per se ipsa exsistens et ea re aequalitas Unius et τῶν ἄλλων efficitur. Eam ob causam quod postea pro natura rei objectae in ea sese tangunt et inter se conjunguntur, contradictiones convocantur et separatio a rebus objectis enuntiatur.

Tum ex hoc loco, tum ex ratione qua eandem rem in prima parte tractat, manifestum est, Platonem difficultatem proponere hancce: εἰ ἓν εἶδος ἕκαστον τῶν ὄντων ἀεί τι ἀφοριζόμενος θήσεις. p. 133: si quamque speciem ita ponis, ut una sit, i. e. a ceteris speciebus prorsus discreta, utque eam a singularibus exsistentibus rebus discernas." Schmidtius rectissime hunc locum intellexit *), Schleiermachero minus apte interpretato: „Wenn du für Jegliches

*) Schmidt, Parmenides als dialektisches Kunstwerk dargestellt. Berlin 1821. p. 13.

Digitized by Google

stione de ἄλλοις pari modo versatur eaque adducit ad contraria eadem ratione qua prima et secunda pars Unum, ordine tamen inverso.

Quarta serie est effectum, in τὰ ἄλλα omnia cadere; quinta probatur, ne τὰ ἄλλα quidem esse de eo posse praedicari.

Huius inversionis causa est, quod τὰ ἄλλα jam natura sua tanquam discretum differentiam in se habent ideoque etiam omnia; qua differentia non nisi arduo negotio exui possunt: quod secus est in Uno, quippe in cujus natura sita potius videatur omnis differentiae negatio.

---

jedesmal abgesondert einen Begriff aufstellen willst." *) Arbitratur quidem Schmidtius de hac separatione notionis a notione posterius distinctiore et graviore ratione disputari — sed non maximae ei hanc rem attribuerimus laudi, quod separationem in initio primae partis **), ubi Parmenides de magnitudine, aequalitate, parvitate disserit, non perspexit. Graviore ratione non opus est. Loco secundae seriei a nobis allato harum notionum ratio distinctius tantum et planius proponitur.

Et quod ad hunc locum p. 133 ὅστις αὐτήν τινα καθ' αὑτὴν αὐτοῦ ἑκάστου οὐσίαν τίθεται εἶναι — attinet, plane consentimus cum Schmidtio. Ἑκάστου minime cum Schleiermachero referendum est ad singulas res, sed cum Heindorfio εἴδους supplendum esse censemus. Recte Schmidtius Schleiermacherum nimis magnum studium ei impendisse dicit, ut consociaret naturam rerum singularum cum natura specierum.

Hoc fere monendum etiam videatur, cum totus dialogus et ambo et omnia conjungere studeat, et aequo modo tota haec disquisitio ad eam rem praeparet tantum: huic quoque loco separationem enuntianti jam contrarium inesse, eumque ex argumento totius dialogi explicari posse. Sed quod ad Schleiermacherum attinet, haec res minimi est momenti, cum tantum dubitet de οὐσίᾳ, quia

*) Uebersetzung 1. 2. p. 118.

**) Parm. p. 131.

Digitized by Google

In quinta serie notio τὰ ἄλλα contrario modo tractatur; spoliatur proprietate sua veraque indole, et si ea respicis, quae hac serie efficiuntur, idem eius est momentum ad totius rationem, quod prioris seriei, quamvis ipsa hypothesis multo subtilior appareat et durior.

Plurimum notandae sunt in hac quarta et quinta serie notiones τοῦ μετέχειν et πλήθους.

Age, jam firmiter adhaereamus hypothesi, circa quam hae quoque duae partes vertuntur: εἰ ἕν ἐστι. Esse τὸ ἓν per se et ex propria sua natura τὰ ἄλλα (aut τὰ πολλὰ) et vice versa, hoc intelligere dialogi fines excedit; igitur εἰ ἕν ἐστι, τὰ ἄλλα manent τὰ ἄλλα, et quod summum attingere possunt, est quod τοῦ ἑνὸς μετέχει. Neque ipsum ἕν ad altiorem adductum erat gradum quam eo, quod μετέχει τῶν ἄλλων. Al-

---

„ἑκάστου" singulas esse res supponit; sed quod ideis οὐσία attribuitur, optime se habet et magna ista difficultas evanescit.

Separatio rerum a speciebus non diserte enuntiatur, sed continetur statim in definitione: οὐσία αὐτὴ καθ' αὑτήν. Res huic contrariae sunt, ergo ab ea separatae. Cum res omnino hic minoris sint momenti, tantum disputatur de οὐσίᾳ αὐτῇ καθ' αὑτήν. Sed non magis quam implicite exsistentia rerum singularum huic οὐσίᾳ inest.

Notes velim quam stricte haereat in vocabulo τἆλλα auctor — quam subtile id commemoretur in verbis: καὶ μετὰ τὴν ἀρχὴν καὶ τἆλλα πάντα μέχρι τοῦ τέλους, p. 153. Conclusio hac re jam comparata est.

In fine seriei id quod ea efficiendum erat, nimirum relatio Unius ad τἆλλα manifestius etiam exponitur hisce verbis: καὶ ὅσαπερ καὶ περὶ τἆλλα τῶν τοιούτων τυγχάνει ὄντα, καὶ περὶ τὸ ἕν ἐστιν. Quum Uni omnia attribuantur quae τοῖς ἄλλοις et omnia quae de τοῖς ἄλλοις constant, etiam de Uno constent; τἆλλα in illius ipsius naturam recepta sunt; et id ipsum sit Unum oportet, quod τἆλλα sive differentiam in se contineat.

Digitized by Google

tior et interior intellectus positus est in ἀτόπῳ transitu, quem tertia series ostendit.

Totius dialogi structura, aedificii instar artificiose instituta, cum ipsa notionum natura congruat necesse est. Ut enim id, quod τὰ ἄλλα vocatur, natura sua in discretione versatur, sic totius dispositio postulat, ut proxime collocetur ei parti, quae transitum exponit.

Id, quod proprium et peculiare est notioni τῶν ἄλλων est πλήθους notio. Quae ut figatur Platonis maxime interest, quo appareat, τὰ ἄλλα τοῦ ἑνὸς esse τὸ πλῆθος, in quod τὸ ἄπειρον cadat. Valde insignis est locus p. 158: τοῖς ἄλλοις δὴ τοῦ ἑνὸς συμβαίνει ἐκ μὲν τοῦ ἑνὸς καὶ ἐξ ἑαυτῶν κοινωνησάντων, ὡς ἔοικεν, ἕτερόν τι γίγνεσθαι ἐν ἑαυτοῖς, ὃ δὴ πέρας παρέσχε πρὸς ἄλληλα· ἡ δὲ αὐτῶν φύσις καθ' ἑαυτὰ ἀπειρίαν.

Harum duarum partium (D. et E.) ad alteram alteram referri, eoque quo par est modo, oppositione, eatenus modo notandum duximus, quatenus hoc in πλήθους notione fit. Τὰ ἄλλα sunt πλῆθος sive πάντα, neque rursus πάντα — εἰ ἕν ἐστι *).

*) In extrema huius partis sententia ex Heindorfii emendatione legimus: καὶ τἆλλα ὡσαύτως. Qua non admissa apparet parum dici. Ut enim τὰ ἄλλα extra Unum pro auxiliari tantum notione quamvis necessaria illa, habeamus, quod fecit Schleiermacherus quidem: quae est nostra de toto dialogo sententia, neutiquam a nobis impetrare possumus. Non auxiliaris tantum est ad Unum τῶν ἄλλων notio, sed quod flagitatur, eius contrarium. Unum enim non est Unum, nisi adsit notio τῶν ἄλλων et sic vicissim. Ne quis enim negligat, τἆλλα esse τὸ πλῆθος. Utut enim τὸ ἕν acceperis, sive πλήθει oppositum, sive id comprehendens et tollens; semper illud quod est, notionis τῶν ἄλλων ope est et ratione ad id. Quod

Digitized by Google

II.

Sequitur altera pars: „εἰ δὲ δὴ μὴ ἔστι τὸ ἕν — quae eodem modo tractatur quo prima. Τὸ ἕν subjectum manet, cui contrarium inhaeret eius quod in priore parte habebat praedicatum — sed non ut vere

---

Plato his verbis effert. p. 159 πάντα γὰρ εἴρηται, ὅτιαν ῥηθῇ τό τε ἓν καὶ τἄλλα.

Etiam in omnibus notionibus, quas in prima dialogi parte proposuerat Parmenides tractandas, earum inter se relatio urgebatur et demonstrabatur: quod ipsum notionum est natura. Quod hic Unum majori cum vi prodit, facile est intellectu, quod ipsum sc. est hypothesis; neque tamen eo, quae est eius ad τὰ ἄλλα ratio, tollitur. Ad dialogum quoque extremum respiciendum est, recte monente Srbmidt: ibi enim apparet, qua via etiam τῶν ἄλλων notio suum jus recuperet. p. 166 ὅτι ἓν ἔιτ' ἔστιν εἴτε μή ἐστιν, αὐτό τε καὶ τἄλλα κ. τ. λ.

Unum esse omnia ratione ad τἄλλα revera demonstratum est per notiones πλήθους et ἀπείρου, quod ἄπειρον, recepto Uno, terminis circumscribitur, eoque omnia discrimina et praedicata assumit; altera ex parte multo etiam clarius est eo demonstratum, quod τὰ ἄλλα sine Uno ne sint quidem multa. An ullo alio modo demonstrari potest, τὰ ἄλλα Unius sola ope esse omnia, quam eo, quod sine Uno ne Ipsum quidem esse evincitur, prorsusque nihil de eo praedicari posse?

Eadem enim sunt τἄλλα et τὸ πλῆθος; quae πλήθους notio, licet primum etiam non accedente Unius notione tueri se videretur, tamen τὸ πλῆθος ab iis divulsum, quae eius naturam constituunt, τοῖς πολλοῖς et discrimine, quae ipsa Unius ope habet, primae seriei Uni omnibus praedicatis carente nec majorem habet veritatem nec probabiliorem „nominis" causam, quam illud.

Nec vero πλήθους notio plane ab Uno diremta aliud quidquam valere dici potest, quam Unum, notione τῶν ἄλλων carens. Unius praedicato privatum nec πλῆθος habere potest definitam vim.

Positum enim ut πλῆθος, ut ἄπειρον, cadit jam in definitionem, quod ipsum Plato in hoc dialogo satis fortiter premit (p. 160. 162.) ἔστιν ἄρα, ὡς ἔοικε, τὸ ἓν οὐκ ὄν. Neque enim negligenda sunt, quae res ipsa monstrat: licet non diserte

Digitized by Google

contrarium, sed tantum ut ab illo *diversum*. Hoc τὸ μὴ εἶναι, ea quam habet ad subjectum ratione, eadem duplici via tractatur, qua prioris hypotheseos praedicatum, τὸ εἶναι.

Hac parte omnes quasi lacunae explentur quaestionis de Uno: omnia quae adhuc obscura, minus enodata, neque satis clara in luce posita remanserant, hic illuminantur, solvuntur, explicantur. Illud enim, negationem quoque vim habere affirmativam, *cognitionis* species, differentiaeque notio illi adjuncta, haec omnia in unum hic sunt congregata et undique ea, quae antea fuerant tractata, luce sua illustrant.

A. Quod hic a relatione sumitur initium et statim a duplici notione proficiscitur quaestio, in causa

---

dicatur, τὰ ἄλλα sine Uno prorsus non esse. Τὰ ἄλλα ἀλλήλων Platonis Uno non accedente ne τὰ ἄλλα ἀλλήλων quidem esse. neutiquam negari poterit, etiamsi illud non urgeamus, τὸ πέρας apud eum e conjunctis notionibus τῶν ἄλλων et τοῦ ἑνός oriri. Τὰ ἄλλα idem quod τό ἄπειρον πλῆθος in Philebo p. 17- e.: τὸ δ' ἄπειρόν σε ἑκάστων καὶ ἐν ἑκάστοις πλῆθος, ἄπειρον ἑκάστοτε ποιεῖ τοῦ φρονεῖν, καὶ οὐκ ἐλλόγιμον, οἱ δ' ἐνάριθμον ἄτ' οὐκ εἰς ἀριθμὸν οὐδένα ἐν οὐδενὶ πώποτε ἀπιδόντα.

Ceterum illud notandum, nihil aliud agere Platonem, quam ut τὰ ἄλλα Unius participia esse appareat, sive inesse hoc τοῖς ἄλλοις. Nec nos quidem aliud quidquam Platoni tribuerimus. Societas utrumque arctiori vinculo complectens nondum adest. Quae Schleiermacherus proponit*), ad „auxiliarem notionem" ab illo statutam recurrunt, de qua supra disputavimus. Contra quod monendum est, ipsa τὰ ἄλλα, quibus „conveniant relationes" rursus *Uni* convenire.

*) Platons Werke Th. 1. Bd. 2. p. 424: „Andrentheils setzt er schon mehr Bekanntschaft mit der Sache voraus und glaubt nicht erst erinnern zu müssen, dafs aller dem Eins beigelegten Begriffe bezüglicher Theil ihm immer nur zukommen kann für das Andre aufser dem Eins."

Digitized by Google

est ipsa hypothesis εἰ δὲ μὴ ἔστι τὸ ἕν. Urgetur enim illud μὴ ἔστι. Tractata in priori parte Unius essentia, jam de eius non-essentia quaeritur. Quae hypothesis jam in conditione versatur, quippe quae, tota essentiae serie decursa, adnectitur tanquam contrario jam posito absolutoque. Sicut enim primae partis alterum dimidium, τὰ ἄλλα, quoad in relatione erant et ad se ipsum et ad prius, primo relationis ratione tractatum erat: ita cum non-essentia secundae partis, quatenus ad priorem partem habet relationem ipsumque per se sit relatum, agendum est.

Primaria hujus primae seriei notio, qua ipsa decurrit, quaque quasi cardine vertitur, est τὸ εἶναι τοῦ μὴ ὄντος, positio negationis; quam notionem jure quis omnis verae philosophiae fundamentum judicaverit. Puram identitatem omnibus nudatam praedicatis esse ipsum *nihil* — ipsumque nihil, dum negetur, *poni;* haec duo gravissima sunt, quibus omnis cognitionis momenta vertuntur.

Jam igitur hic in Platone apparet subtilissima illa cognitio ex intimo philosophicae mentis recessu hausta, cui summus nostrae aetatis philosophus suam doctrinam superstruxit.

Pro sublimitate enim quae in Platone est divini ingenii, hanc notionem perspicit non diversam esse a cognitione, utramque non differre a notione τῆς ἑτεροιότητος. Unam hae tres efficiunt speciem; haec sunt ardui laboris late splendentia praemia, omnis omnium temporum philosophiae fundamenta.

Τὸ μὴ ὄν, quum quatenus positum est et discretum, essentiae sit particeps, ejusdem quoque varietatem accipit quodammodo: participando.

Digitized by Google

B. De abstracta non-essentia nihil prorsus dici posse per se clarum est. Eodem pervenitur hic, quo prima series prioris hypotheseos; et sic amborum *τοῦ ἑνὸς ὄντος* et *τοῦ ἑνὸς μὴ ὄντος* identitas, licet non enodata illa diserteque expressa, effecta est.

C. D. Quum *τὰ ἄλλα* per se sint diversum quid, varietas primum quaeritur. Pro fundamento substratae sunt quaestioni species *τοῦ ἑτέρου* et *τῶν ὄγκων.*

Speciei *τοῦ ἑτέρου* adnectuntur *τὰ ἄλλα* quae notio tam subtiliter tamque stricta vi premitur quam antea nunquam, quia nunc *non est* Unum, et praeter *τὸ ἓν* et *τὰ ἄλλα* nihil sit. Diversitatis enim notio est *τὰ ἄλλα* ipsa. Et licet Unius ratione nulla habita, tamen est *τὰ ἄλλα — ἀλλήλων.*

Id quod maximi momenti est. *Τὰ ἄλλα* autem sunt *τὰ πολλὰ* sive *τὸ πλῆθος, τὸ ἄπειρον.* Eadem igitur quae *τῶν ἄλλων ἀλλήλων* est ratio, eadem erit *τῶν πλήθων* inter se invicem.

Quam rationem non vere esse, sed tantum *φαίνεσθαι,* dici non potest, quantum intersit ut perspiciatur. Intelligitur hoc eo, quod *τὸ πλῆθος* cognoscitur tantum *ἄπειρον,* quod veram nancisci non possit exsistentiam, sed in opinione et specie versetur; idque eo significatur, quod supra Plato *τὰ πολλὰ* sine Uno ne *τὰ πολλὰ* quidem esse statuerat. *Τὸ πλῆθος* est *τὰ πολλὰ* in forma quantitatis; summa est indifferentia, in qua omnia discrimina, Uno abolito, sublata sunt, nec in qua ulla sive relatio sive ratio locum amplius habet.

Cum igitur *τοῖς ἄλλοις,* amisso Uno, nihil relinquatur, quam esse (*ἄλλα*) *ἀλλήλων;* necessario sequitur, ut illud *ἄπειρον πλῆθος* singularitatis (i. e. uni-

Digitized by Google

tatis) quae tamen ei non est propria, speciem sibi vindicet, et tanquam ὄγκους rationem ἄλλων ἀλλήλων, cumque ea ratione omnia et praedicata et discrimina assumat, *videatur* certe assumere. Nam et ὄγκος, omni qualitate i. e. essentia nudatus, non potest non in πλῆθος abire. Possit sane *videri* hic quoque discrimen et terminus statui; quod tamen ipsum rursus in infinitam multitudinem abit, qui progressus in infinitum repetitur.

Ὄγκος est τὸ πλῆθος, (quod vera externitatis notio est) finibus circumscriptum, iis tamen non veris, sed termini naturam tantum simulantibus; simulata atque ementita Unius species, quam ideo τὸ πλῆθος ut sibi externam et alienam solvit in infinitum. Ὄγκος nondum illud est quantum, quod dicunt specificum; cujus determinatio et mutatio qualitatis quoque mutationem contineat.

Tractantur in hac parte τἆλλα quae, Unius non-essentia posita, prorsus omni praedicato privata sunt, ideoque omnia praedicata et discrimina quae subjecto (τοῖς ἄλλοις) e sua natura conveniunt, non vere ei conveniunt, sed tantum *videntur* convenire. Conveniunt quidem quoad primitivum discrimen eius natura continetur, nec tamen vere, quum Uno sit privatum, quod non esse positum erat.

D. Hac ὄγκων simulata specie neglecta, solaque Unius non-essentia retenta, τὰ ἄλλα itidem prorsus neque sunt, *neque videntur* esse. Si Unum prorsus non esse ponitur, neque ulla eius species simulata exsistere potest, neque τὰ ἄλλα; nihil igitur.

Digitized by Google

Uno amisso jam in tertia serie (C) ipsa τὰ ἄλλα sublata, ficta tantum Unitatis essentia acceperunt praedicata sua; ubi vero Unitatis non-essentia acriter urgetur, nec illa amplius ficta species obtinere potest — et nihil est, si Unum non est.

* * *

Hoc modo initium et exitus disquisitionis de Uno, e contraria hypothesi profectae, idem efficiunt: tum a notione ἑνὸς ὄντος proficiscens, aliis non exsistentibus, nihil esse — tum a notione ἑνὸς μὴ ὄντος proficiscens, Uno non exsistente, nihil esse disquisitio demonstravit.

Conclusio, quae omnia in majorem unitatem dialecticam ratione affirmativa conjungat, non proponitur. Continetur quodammodo in τῷ ἀτόπῳ transitum faciente, qui ipse transitus in progressu dialogi sese praebuit tanquam unam serierum praeter ceteras. Finis dialogi secundum totius disquisitionis rationem omnia quae effecta sunt colligit; quaque parte seorsim proposita, et relatione omnium earumque oppositionis in vocabulo Et, exteriore quodam modo, contenta.

Ita Socratis postulationi pro singulis partibus satisfactum est; dialecticae Unitatis elementa secundum oppositionem et relationem suam perspecta sunt; sed non omnibus ex partibus absoluta relinquitur, cum transitus oppositarum non in iis ipsis et per eas ipsas explicatus, non ad summam illam perveniat unitatem, quae se ipsam et sibi contrarium, unitatem et discrimen suum complectens efficit et intelligit; sed in τῷ ἀτόπῳ τοῦ ἐξαίφνης collocatus sit, in illo ἐν χρόνῳ οὐδενὶ versante; quod quidem tanquam causam et fundamen-

Digitized by Google

damentum explicationis dialecticae intuearis, quamvis ipsa non sit.

Quaestio de specierum nexu hic eo usque perducta est, ut resumatur a Sophista, qui eam plane absolvit. Schleiermacherus nostrum dialogum adeo non habere iustum finem potiusque abruptum eum esse, quam clausum censet, ita ut dubitandum videatur, sitne is, quem habemus, verus dialogi finis, idque itinere primo *) Platonis, Megara Cyrenas suscepto, — in qua urbe hic dialogus factus esse videtur, — effectum esse arbitratur. Equidem non dubitaverim pronuntiare, extrema dialogi verba eius veram iustamque continere clausulam. Disquisitio prorsus exhausta est et usque ad finem perducta, minimeque clauditur „simplici affirmatione". Omnia potius in fine colliguntur, et quum quaeque pars plane absoluta, eaque quae efficiuntur, quam certissime demonstrata sint, unicum illud, quod adhuc restat est, affirmatione: *rem ita se habere*, dialogo finem imponi. Ea enim est hujus disquisitionis ratio et in eo summae laudes ponendae sunt quas ei tribuerimus, quod nihil in fine dici potest, nisi ἀληθέστατα. Quo vocabulo quum dialogo finem imponit Plato, minime dixerim, illi „ἀληθέστατα" nihil inesse, nisi simplicem affirmationem, eaque Platonem finivisse „non pro ratione dialogi vel modo stulto indignoque se ipso" **). Etiam prior pars per se jam conclusa erat.

*) Uebersetzung I. 2. p. 104.

**) Uebersetzung I. 2. p. 103.

Digitized by Google

DE CONSTRUCTIONE NUMERI.

Pag. 143. 144.

„*Οὐκοῦν εἰ ἕτερον μὲν ἡ οὐσία, ἕτερον δὲ τὸ ἓν, οὔτε τῷ ἓν εἶναι τὸ ἓν τῆς οὐσίας ἕτερον οὔτε τῷ οὐσία εἶναι ἡ οὐσία τοῦ ἑνὸς ἄλλο, ἀλλὰ τῷ ἑτέρῳ τε καὶ ἄλλῳ ἕτερα ἀλλήλων.*"

Ut his tribus distinctionibus sc. Uno, Essentia, Diverso, ubi scilicet ter eas complecteris, dici possit „ambo" *natura Diversi* efficitur. Tum ita pergitur: Pro vocabulo „ambo" dici potest duo; ejus vero quod duo erat, utrumque per se Unum est. Hoc cuique illarum conjunctionum appositum tria efficit; tum vero conjunctione iterata quisque numerus efficitur.

Ita Plato e natura *τοῦ ἑτέρου* numerum construit. Ille vero minime e natura Unius abstracti nasci potest, sed tantum ea re, quod Unum differentiam habet.

Εἰ ἄρα ἔστιν ἓν, ἀνάγκη καὶ ἀριθμὸν εἶναι; (p. 144) idem valet, ac si dicas: si duo sunt, numerus est. Nam Unum et Est duo inter se sunt, ergo: si *Unum est*, duo sunt atque ideo etiam numerus. Quodsi vero duo sunt, sunt tantum discrimine a se ipsis, alioquin enim Unum tantum essent. Ergo discrimen tertium est, una cum ambobus exsistens, quo efficitur ut ambo tantum tanquam duo sint. Si *Unum est*, omnia sunt.

Praecipue animadvertendum videtur, ex ipsa sua natura qualitativa has distinctiones indifferentes inter se et quasi externas i. e. numerabiles reddi. Eandem ipsam ob causam, quod hae tres distinctiones sunt,

Digitized by Google

discretae inter se, quae tantum per discrimen suum et in eo sunt, fieri potest, ut *in hac* distinctione, *per hoc* discrimen tanquam indifferentes et sibi alienae i. e. numerabiles, juxta apponantur.

Restat adhuc demonstrandum, hanc differentiam simulatam tantum esse neque ullo modo amplius existentem, quia in Uno quantitatis omne verum discrimen sublatum est.

Digitized by Google

DE SPECIE UNIUS.

Ut progressus philosophiae omnino quam maxime auctus est hac specie principio et norma veri reddita; ita maximum momentum ei rei attribuerimus, quod Plato usus est ea tanquam exemplo ad disquisitionem dialecticam comprobandam. Etenim illa ipsa electa magnum amplumque philosophum se praestat.

Est enim haec individui notio, quae simul multitudinem **) involvit, et culmen est ad quod Essentia ***) in dialectico suo motu pervenit; (in quo qualitas repulsione et attractione in meram quantitatem abit); simul vero etiam forma qua Xenophanes puram essentiam concepit, pura cogitandi identitas.

Progressus transitusque „potentiarum Unius“ in eo tantum consistit, quod aliud in ipso sublatum po-

---

*) cf. Aristot. met. IV. ed. Brand. p. 96. *Καθόλου γὰρ ὅσα μὴ ἔχει διαίρεσιν, ᾗ μὴ ἔχει, ταύτῃ ἓν λέγεται, οἷον εἰ ᾗ ἄνθρωος μὴ ἔχει διαίρεσιν, εἷς ἄνθρωπος, — εἰ δὲ ᾗ μέγεθος, ἓν μέγεθος.*

**) Arist. met. III. p. 63. *ἐπεὶ δὲ μιᾶς (ἐπιστήμης) τἀντικείμενα θεωρῆσαι, τῷ δ᾽ἑνὶ ἀντίκειται πλῆθος, ἀπόφασιν δὲ καὶ στέρησιν μιᾶς ἐστὶ θεωρῆσαι διὰ τὸ ἀμφοτέρως θεωρεῖσθαι τὸ ἓν . . . . . τῷ δ᾽ ἑνὶ πλῆθος ἀντίκειται, ὥστε καὶ τὰ ἀντικείμενα τοῖς εἰρημένοις, τό τε ἕτερον καὶ ἀνόμοιον καὶ ἄνισον καὶ ὅσα ἄλλα λέγεται ἢ κατὰ ταὐτὰ ἢ κατὰ πλῆθος καὶ τὸ ἕν, τῆς εἰρημένης γνωρίζειν ἐπιστήμης· ὧν ἐστί καὶ ἡ ἐναντιότης· διαφορὰ γάρ τις ἡ ἐναντιότης, ἡ δὲ διαφορὰ ἑτερότης· ὥστ᾽ ἐπειδὴ πολλαχῶς τὸ ἓν λέγεται, καὶ . . . ὅμως δὲ μιᾶς ἅπαντά ἐστι γνωρίζειν.*

***) Metaph. III. p. 62.: *Εἰ δὴ τὸ ὂν καὶ τὸ ἓν ταὐτὸν καὶ μία φύσις, τῷ ἀκολουθεῖν ἀλλήλοις ὥσπερ ἀρχὴ καὶ αἴτιον· ἀλλ᾽ οὐχ ὡς ἑνὶ λόγῳ δηλούμενα· διαφέρει δὲ οὐθὲν οὐδ᾽ ἂν ὁμοίως ὑπολάβωμεν, ἀλλὰ καὶ πρὸ ἔργου μᾶλλον.*

Digitized by Google

nitur, ideoque Unum se manifestat identitatem sui aliorumque. Ita relatio quae erat ei ad alia nihil amplius ei valet; Unum alia in se recepit eaque re qualitas in quantitatem abiit.

Hac speciei Unius ratione dialectica fieri potest, ut in Parmenide Unum diversis modis pertractetur. Sed haud facile contigerit, ut modi hujus speciei in disquisitione Platonica vera forma indagentur vel demonstrentur, cum hic arbitrio vel secernantur vel commisceantur; externa potius ratione dissipati et convoluti minus luculenter appareant. Quam diu Unum multitudinem per se ipsum esse, repulsionem vero et attractionem diversas unius ejusdemque speciei formas demonstratum non est, tam diu illi modi justo loco in systemate philosophiae careant necesse est.

Et hoc tantum notare nobis proposuimus, hanc Unius speciem ratione negativae relationis ad se ipsam*), duplici et excludendi et complectendi facultate quam optime electam esse ad disquisitionem philosophicam repraesentandam.

Nam quum modi in hac specie contenti, per se tantum, omnibus rebus alienis neglectis, spectantur omnibus ex partibus, fieri non potest, quin ejus natura manifestetur, etiamsi elementis disjectis sibi ipsi opposita turbataque esse videatur.

---

*) Metaph. III. p. 65. *Τὰ δ᾽ὄντα καὶ τὴν οὐσίαν ὁμολογοῦσιν ἐξ ἐναντίων σχεδὸν ἅπαντες συγκεῖσθαι· .... ἅπαντα δὲ καὶ τἆλλα (ἐναντία) φαίνεται ἀναγόμενα εἰς τὸ ἕν καὶ πλῆθος· εἰλήφθω γὰρ ἡ ἀναγωγὴ ἡμῖν· αἱ δ᾽ἀρχαὶ καὶ παντελῶς αἱ παρὰ τῶν ἄλλων ὡς εἰς γένη ταῦτα πίπτουσι· . . . . . πάντα γὰρ ἢ ἐναντία ἢ ἐξ ἐναντίων· ἀρχαὶ δὲ τῶν ἐναντίων τὸ ἕν καὶ πλῆθος.*

Digitized by Google

De gravitate hujus speciei *) verissime Schleiermacherus monet: „negligendum non esse Unitatem simul universalem omnium specierum formam esse; et tantum hac ratione dialectica oppositionem Unitatis omniumque aliorum, alioquin causa destitutam, spectandam esse."

Haec ipsa omnium specierum forma universalis Unum est, quia, quum ad aliud relatum, non ad aliud sed ad se ipsum referatur, ille agendi vigor est, qui continetur natura individui. Atque ratione dialectica speciei neglecta, profecto oppositio Unius et aliorum causa destituta esset: nam Uni quâ Uni non exsistit aliud quidquam; omnis differentia in hoc simplici modo negativo sublata est.

Sed ex hac ipsa ratione negativa efficiuntur multa quae veritate non aliena ab Uno, sed ipsum Unum sunt, et, ratione dialectica tantum tanquam alia proponuntur, ut Unum ipsum e multitudine sua exhibeatur, et attractione repulsionis id per se fiat, quod est, sc. Unitas. Etiam negatio, specie tantum exsistens, nimirum multa, in Unum recepta est, et determinatio eo, quod non amplius relatio ad alia est, prorsus evanuit. Hoc modo qualitas sublata, quantitas mera effecta est.

* * *

Addidimus Aristotelis quosdam locos, huc maxime pertinentes: metaph. II. p. 55 seqq. *Πάντων δὲ καὶ θεωρῆσαι χαλεπώτατον . . . . συμβαίνει δὲ, εἰ μέν τις μὴ θήσεται εἶναί τινα οὐσίαν τὸ ἓν καὶ τὸ ὄν, μηδὲ τῶν ἄλλων εἶναι τῶν καθόλου μηθέν· ταῦτα γάρ*

---

*) Metaph. IV. p. 97. *ᾧ γὰρ πρώτῳ γνωρίζομεν, τοῦτο πρῶτον μέτρον ἑκάστου γένους· ἀρχὴ οὖν τοῦ γνωστοῦ περὶ ἕκαστον τὸ ἕν.*

Digitized by Google

ἐστι καθόλου μάλιστα πάντων . . . . ἔτι δὲ μὴ ὄντος τοῦ ἑνὸς οὐσίας, δῆλον ὅτι οὐδ' ἂν ἀριθμὸς εἴη ὡς κεχωρισμένη τις φύσις τῶν ὄντων· ὁ μὲν γὰρ ἀριθμὸς μονάδες, ἡ δὲ μονὰς ὅπερ ἕν τί ἐστιν· εἰ δ' ἔστι τι αὐτὸ ἓν καὶ ὄν, ἀναγκαῖον οὐσίαν αὐτῶν εἶναι τὸ ὂν καὶ τὸ ἕν· οὐ γὰρ ἕτερόν τι καθόλου κατηγορεῖται, ἀλλὰ ταῦτα αὐτά. Ἀλλὰ μὴν εἴ γ' ἔσται τι αὐτὸ ὂν καὶ αὐτὸ ἕν, πολλὴ ἀπορία . . . . ὥστε κατὰ τὸν Παρμενίδου ἀνάγκη συμβαίνειν λόγον ἓν ἅπαντα εἶναι τὰ ὄντα καὶ τοῦτο εἶναι τὸ ὄν. κ. τ. λ.

Digitized by Google

DE PLATONICAE DIALECTICES VI PHILOSOPHICA.

Quae in Platonica philosophia conspicua est ars, divina illa dialectices vis, variis omnium temporum praeconiis celebrata, ea multum sane differt ab ea dialectice, quae est nostrae recentioris philosophiae. Cujus discriminis explicatio id, quod quasi utriusque vitam et veram vim continet, demonstrabit eaque sola efficiet, ut quod in utraque videri possit obscurum, perducatur ad liquidum claraque ponatur in luce.

Videtur nimirum Platonis ea esse vera ratio et natura, ut idearum interna vita in cogitandi vigore formâque, quasi speculo repercutiatur, idemque sit germanus et philosophus et philosophicus artifex. Socratis familiari usui assuetus ab eoque inflammatus, qui inter homines primus vivam spirantemque philosophiae imaginem repraesentavit, colloquii vim ineluctabilem expertus: hanc unam esse perfectam veramque rationem veritatis indagandae perspexerat, cogitationumque volubilitas alacerque vigor nullo modo poterat apud eum formam sibi congruam nancisci, quam quum, cogitationum in aliis quoque genitrix, ipsa in veritatem vitamque animaretur.

In quo duo sunt discernenda: res seu finis, ad quem sit perveniendum, instrumentumque sive via, qua sit ad illum perveniendum. Alterum est cognitionis, alterum indagationis.

Qui igitur accuratius novit Platonem, cui nimirum omnia terrena non videantur pervenire posse ad verae puraeque intelligentiae possessionem: qui porro

Digitized by Google

philosophum non patiatur in sapientia quiescere, sed ejus vitam sapientiamque in eo ponit, ut utrumque novo semper conatu et molimine recuperet et regeneret divinarum rerum recordationis studio non intermisso: ei sane videbitur optime cum Platone convenire, quod in primo juvenili opere tam severe de imperfecta scriptionis natura judicet, et in universum totum illud per literas exarare quasi egenum inopsque castiget, maxime vero perpetuitatem sermonis, ut qua omnis vita exstinguatur, damnet.

In ipso inveniendi veri actu sita est sapientia, illeque actus gignitur e dialectica cogitationum definitione.

Quae rursus via duplici modo est consideranda: et quatenus in ea progredientes nos ipsi pedetentim ad legis certam ratamque normam ascendamus: et quatenus ea auxiliante aliis procreandarum cogitationum possimus fieri auctores.

Idem est ejusdem dialogi artificium, et cogitatione ad rem, quae vocatur in quaestionem, perveniendi, et in aliis cogitationes gignendi: inter quae nihil aliud interest discriminis, quam quod leges, quas in quaerendo ipse quis in se sit expertus, in aliorum societate denuo reperiantur.

Hoc est primarium, quod in adumbranda Platonica dialectice tenendum est, esse ejus philosophiam vere indagationem.

Quum igitur in philosophica rerum consideratione nullus vere gradus ultra finem excedat, quum potius quisque praeviam ejus cognitionem involvat; in hac argumenti et formae arctissima conjunctione, quam in Platone agnovinus e propria ejus philosophandi methodo profluentem, dialectica perscrutationis via in

Digitized by Google

unum quasi coalescat cum cognitione in fine viae reperta necesse est, eademque, quae alterius, oportet alterius sit et praestantia et defectus.

Utrumque vero et vivae vigentisque cogitationis per se innata cupido et in aliis cogitationum gignendarum studium, inde et contemplandum et cognoscendum erit, quod Platonicae philosophiae natura et vera notio est ethica, apudque eum pulcritudinis, veri, cognitionis ideae una summaque boni notione quasi vinculo comprehenduntur. Huic ut inferiores sunt subjectae *).

Quaestiones de bono et de cognitione tam arcto vinculo conjunctae sunt Platoni, ut nullo modo divelli queant. Prior ad suum finem, qui est respublica, adducitur in disquisitionibus de virtute docenda, altera in disquisitionibus de ideis, earumque cum rebus consociatione.

In memoriam revocatis iis, quae antea de indagatione Platoni propria peculiarique disputavimus: Platonicae philosophiae argumentum esse cognitionis in universum naturam, virtutis modo graduque e cogni-

---

*) De rep. VI. 508. 9. τοῦτο τοίνυν τὸ τὴν ἀλήθειαν παρέχον τοῖς γιγνωσκομένοις καὶ τῷ γιγνώσκοντι τὴν δύναμιν ἀποδιδὸν τὴν τοῦ ἀγαθοῦ ἰδέαν φαθὶ εἶναι, αἰτίαν δ' ἐπιστήμης οὖσαν καὶ ἀληθείας ὡς γιγνωσκομένης μὲν διὰ νοῦ, οὕτω δὲ καλῶν ἀμφοτέρων ὄντων, γνώσεώς τε καὶ ἀληθείας, ἄλλο καὶ κάλλιον ἔτι τούτων ἡγούμενος αὐτὸ ὀρθῶς ἡγήσει· ἐπιστήμην δὲ καὶ ἀλήθειαν, ὥσπερ ἐκεῖ φῶς τε καὶ ὄψιν ἡλιοειδῆ μὲν νομίζειν ὀρθόν, ἥλιον δὲ ἡγεῖσθαι οὐκ ὀρθῶς ἔχει, οὕτω καὶ ἐνταῦθα ἀγαθοειδῆ μὲν νομίζειν ταῦτ' ἀμφότερα ὀρθόν, ἀγαθὸν δὲ ἡγεῖσθαι ὁπότερον αὐτῶν, οὐκ ὀρθόν ἀλλ' ἔτι μειζόνως τιμητέον τὴν τοῦ ἀγαθοῦ ἕξιν.

Digitized by Google

tionis gradu pendente et in hac alterius cum altero societate et alterius ex altero dependentia eam, quae summa ei obversetur, ethices imaginem contineri: facile apparebit in quaestionibus de idearum natura primariam Platonicae et dialectices et disciplinae sedem esse quaerendam.

Quamvis enim Respublica ut finis et fastigium Platonicae sapientiae consideretur idque jure, tamen, ut ejus ipsius exsistentia a Platonica naturae contemplatione hominisque ejus conditionibus obnoxii proficiscitur, omnia pariter purarum specierum cognitione nituntur et summae quae in omnibus regnat legis, divina idearum vita, recordatione ejus quod *vere est.* Hic est supremus quasi aether, ubi philosophi mens regia ornatur dignitate, atque immortalitatis acquirit conscientiam.

Si quis igitur in eo haereat, quod, quum virtus e cognitione dicatur pendere, tamen bonum ut multo sublimius cognitione proponatur: id quidem facilem habet eo reconciliationem, quod virtus nondum est ipsum bonum. Utrumque, virtus et cognitio, viam munit ad bonum, studium est ad bonum progrediendi, humanae mentis illuc perveniendi molimen. Bonum contra ipsum est perfecta summaque utriusque unitas, Deus ipse in essentiae unitate.

Ut in Phaedro philosophandi impetus tanquam dialectices ut amoris generantis species describitur et celebratur ἐνθουσιασμῷ divinaque vi abrepto fervore, eique totius Platonicae cogitandi formae quasi germina insunt mythico involucro tecta: ita propius ad eius indolem accedens definitio sub regulae modo specie profertur: 249 b. c. *δεῖ γὰρ ἄνθρωπον ξυνιέναι κατ' εἶδος λεγόμενον ἐκ πολλῶν ἰὸν αἰσθήσεων εἰς ἓν λο-*

Digitized by Google

γισμῷ ξυναιρούμενον. τοῦτο δέ ἐστιν ἀνάμνησις ἐκείνων ἅ ποτ' εἶδεν ἡμῶν ἡ ψυχή — τὸ ὄντως ὄν. — Πρὸς οἷσπερ (ἐκείνοις) ὁ θεὸς ὢν θεῖός ἐστι." p. 265 d. . . . εἰς μίαν τε ἰδέαν συνορῶντα ἄγειν τὰ πολλαχῇ διεσπαρμένα — ὥσπερ τανῦν δὴ περὶ Ἔρωτος, ὅ ἐστιν, ὁρισθέν — τὸ πάλιν κατ' εἴδη δύνασθαι διατέμνειν. p. 266. . . . εἰς ἓν καὶ ἐπὶ πολλὰ πεφυκότα ὁρᾷν."

Quae regula orationum antea habitarum exemplo illustratur, verisque rhetoricae fixis legibus probatur p. 270, 271; omnia comprehenduntur p. 277.

Explanatur vero accuratius neque ipsa, neque species sive monades, rerum formae, categoriae purae illae, accuratiori subjiciuntur quaestioni, earum et oppositionis et consociationis ratione.

Quod maxime efficitur Parmenide, Sophista, Phaedone, Philebo.

Ideas in rebus inesse, aut, si cui hoc aliter exprimere placeat, divinum et verum in phaenomenis apparere, ita quidem ut vere *sit et possit cognosci*; cum singularibus universale nativa cognatione esse junctum — haec Platoni constant; haec ut omnis philosophiae elementa sunt, ita universo eius cogitationum ambitui pro fundamentis subjacent.

Illud plurimum interest quaeri: *quo modo* fiat haec conjunctio. Ad quam quaestionem solvendam maxime faciunt loci Soph. Phaedon. Phileb. duplici ratione eam tractantes, et idearum secum invicem et cum rebus conjunctionem.

Quacunque ea forma concipitur, sive mythica τοῦ δαιμονίου *), sive sub notione τῶν ὁπόσων **), τῶν

*) Conviv. 202. d.

**) Phileb. 16 d. 17 a. 27 b.

Digitized by Google

μέσων, τῆς μικτῆς οὐσίας, sive forma *μετοχῆς* — semper aliquod tertium manet, in quo opposita ut in unum concilientur opera datur; illudque tertium aut ut extrinsecus accedens aut ex utroque mixtum, intra utrumque, ut novum suamque habens naturam medium est, quod pari jure neque alterum, neque alterum esse dici potest. Sic Soph. p. 254 seqq., — qui locus in primis facit ad Parmenidem illustrandum. *Motus* et *quietis* species ut inter se neutiquam conciliandae opponuntur; *τὸ ὄν* contra ut quod utrique conciliari possit; quodque porro ut ab ambobus alteris *Diversum*, cum tamen secum ipso sit *Idem* ponitur. *Ταὐτὸν* et *τὸ ἕτερον* vero ipsa, ut duae a tribus illis diversae quidem, necessario vero illis se admiscentes, species ponuntur.

Quinque hae species ut prorsus discretae statuuntur; quod enim dicimus motum et Idem esse et Non-Idem *), id eatenus tantum dicimus, quatenus *non pari modo* accipimus: modo ejus cum Eodem connexum, modo ejus societatem cum Diverso respicientes.

Jam tres habemus species, *τὸ ὄν, ταὐτὸν, τὸ ἕτερον*, quae et sui inter se et quarum omnia participia sunt, quaeque non minus et ab omnibus et a se ipsis sunt discretae. *Κατὰ* (p. 256 e.) *πάντα (τὰ γένη) γὰρ ἡ*

---

*) Soph. 256 a. b. *Τὴν κίνησιν δὴ ταὐτόν τ' εἶναι καὶ μὴ ταὐτὸν, ὁμολογητέον, καὶ οὐ δυσχερεντέον· οὐ γὰρ ὅταν εἴπωμεν αὐτὴν ταὐτὸν καὶ μὴ ταὐτόν, ὁμοίως εἰρήκαμεν· ἀλλ' ὁπόταν μὲν ταὐτὸν, διὰ τὴν μέθεξιν* (confer. Phaedonem 100. 101.) *ταὐτοῦ πρὸς αὐτήν, οὕτω λέγομεν· ὅταν δὲ μὴ ταὐτὸν, διὰ τὴν κοινωνίαν αὖ θατέρου* *) *δι' ἣν ἀποχωριζομένη ταὐτοῦ, γέγονεν οὐκ ἐκεῖνο, ἀλλ' ἕτερον· ὥστε ὀρθῶς αὖ λέγεται πάλιν οὐ ταὐτόν.*

*) *Οὐκοῦν κἂν εἴ πῃ μετελάμβανεν αὐτὴ κίνησις στάσεως, οὐδὲν ἂν ἄτοπον ἦν στάσιμον αὐτὴν προσαγορεύειν;*

Digitized by Google

θατέρου φύσις ἕτερον ἀπεργαζομένη τοῦ ὄντος ἕκαστον οὐκ ὂν ποιεῖ, καὶ ξύμπαντα δὴ κατὰ ταὐτὰ οὕτως οὐκ ὄντα ὀρθῶς ἐροῦμεν. 257. καὶ τὸ ὂν ἄρ' ἡμῖν, ὅσα-πέρ ἐστι τὰ ἄλλα, κατὰ τοσαῦτα οὐκ ἔστιν — (quoad enim illa in se *non* habet, est *Unum*). ὥστε τὸ ὂν ἀναμφισβητήτως αὖ μυρία ἐπὶ μυρίοις οὐκ ἔστι, καὶ τἆλλα δὴ καθ' ἕκαστον οὕτω καὶ ξύμπαντα πολλαχῇ *) μὲν ἔστι, πολλαχῇ δ' οὐκ ἔστιν. 259 b.

Respicientes ad locum supra citatum — (254 b.) τὰ μὲν τῶν γενῶν κοινωνεῖν ἐθέλειν ἀλλήλοις, τὰ δὲ μή, καὶ τὰ μὲν ἐπ' ὀλίγον, τὰ δ' ἐπὶ πολλά, τὰ δὲ καὶ διὰ πάντων οὐδὲν κωλύειν τοῖς πᾶσι κεκοινωνηκέναι" — relatione motus et quietis ut talium specierum quarum oppositio non tollatur, neglecta — si relationem earum, quae omnibus communes sunt, consideramus, quaestionemque quomodo in iis oppositio solvatur; respondendum erit: eo, quod plane e medio est sublata quippe cujus ut vere exsistentis plane nullus (in iis) sit locus.

Hoc eo tantum effici poterat, quod omnia idem manebant quod erant; pro Diversi natura discernebantur, pro Essentiae natura connectebantur. Quodque particeps est illorum quoque, quae ab ejus natura aliena sunt; vere et proprie id tantum est, quod est, manetque immutatum; Diversum ipsum, varietatis forma, *manet* varietas; sed: διὰ πάντων γε αὐτὴν (τὴν θατέρου φύσιν) αὐτῶν φήσομεν εἶναι διεληλυθυῖαν· 255 e. Ideo quoque ipso Diverso omnia connecti non aliter quam speciebus ταὐτοῦ et τοῦ ὄντος apparet.

---

*) Sc. quod attinet ad illas relationes, quas quaeque species participando acquirit, non tamen sibi peculiares. Una tantum distinctio cuique convenit; quaevis species monas est.

Digitized by Google

Id vero quod omnibus est commune, quod omnibus convenit, est ea connectens quae dicitur identitas.

Harum formarum mutabilis natura clarissime eo concepta est, quod *τὸ ὄν* ipsum ut diversum ceteris tanquam non minus exsistentibus opponitur, ideoque ipsum tanquam *μὴ ὄν;* et quod Diversitas, negationis et *τοῦ μὴ ὄντος* species *), *esse* dicitur: „*ἡμεῖς δέ γε οὐ μόνον ὡς ἔστι τὰ μὴ ὄντα ἀπεδείξαμεν, ... τὴν γὰρ θατέρου φύσιν ἀποδείξαντες οὖσάν τε καὶ κατακεκερματισμένην ἐπὶ πάντα τὰ ὄντα πρὸς ἄλληλα, τὸ πρὸς τὸ ὄν ἕκαστον μόριον αὐτῆς ἀντιτιθέμενον ἐτολμήσαμεν εἰπεῖν ὡς αὐτὸ τοῦτό ἐστιν ὄντως τὸ μὴ ὄν.*" 258. e.

Verum *τὸ ὄν* et *τὸ ἕτερον* — (quorum praedicamentorum accurate attendenda est vera vis **): exprimunt enim Unitatem et discrimen, omnisque logices et cogitandi et naturam et ambitum et enodationem comprehendunt, id quod Plato satis clare significat) — cum *per omnia* et per se ipsa pertineant: *τὸ μὲν ἕτερον μετασχὸν τοῦ ὄντος ἔστι μὲν διὰ ταύτην τὴν μέθεξιν, οὐ μὴν ἐκεῖνό γε οὗ μετέσχεν, ἀλλ' ἕτερον.* 259. Manet igitur quod est et quae insuper accedunt, non aliter quam *participando* accedunt. *Τὸ δὲ ὂν αὖ θατέρου μετειληφός, ἕτερον τῶν ἄλλων ἂν εἴη γενῶν, ἕτερον δ' ἐκείνων ἁπάντων ὂν οὐκ ἔστιν ἕκαστον αὐτῶν οὐδὲ ξύμπαντα τὰ ἄλλα, πλὴν αὐτό.*

Apparet hinc, quamque speciem ut firmam, immutabilem unitatem poni, imo eas etiam, quae sint pu-

*) 257. b. *ὁπόταν τὸ μὴ ὄν λέγωμεν, ὡς ἔοικεν, οὐκ ἐναντίον τι λέγομεν τοῦ ὄντος, ἀλλ' ἕτερον μόνον.*

**) Parm. 151. *οὐκοῦν καὶ τόδε ἀνάγκη, μηδὲν εἶναι ἐκτὸς τοῦ ἑνός τε καὶ τῶν ἄλλων·*

Digitized by Google

rissimae, maxime universales, per omnia pertinentes, quibus quasi summis arbitris omnis realitas obnoxia sit, quaeque in hac potestate varias ineant relationes, quarum adeo una pro sua natura omnis varietatis sit fundamentum; ne has quidem ultra Unitatis fines evagari.

Nam Discrimen quoque in primariae suae naturae unitate manet; firmam discriminis notionem servat ipsiusque essentia est essentiae tantum participatio, non ipsa essentia.

Hac participatione, — hoc connectendi modo, in quo connexa vere id manent, quod priusquam connecterentur, fuerant: firma immutabilia, monades — ratio continetur, qua Platoni „species inter se commiscentur." Haec est quaestionis summae a Socrate in Parmenide prolatae solutio. Omnia quae in hunc finem ibi per varias labyrinthi instar implicatas dialogi ambages exposita sunt et significata, in Sophistae locis citatis clara luce perfunduntur.

Sic hac participandi categoria id quod illic ut summa admiratione dignum ponebatur „effiecere ipsum simile ut sit dissimile, sive dissimile ipsum ut simile sit; Unum ipsum ut appareat multa esse viceque versa" praestatur; sic speciebus ipsis contrariae distinctiones conveniunt.

Dialectices ars est . . . *ὅταν τέ τις ἕτερον ὄν πῃ ταὐτὸν εἶναι φῇ καὶ ὅταν ταὐτὸν ὄν ἕτερον, ἐκείνῃ καὶ κατ' ἐκεῖνο ὅ φησι τούτων πεπονθέναι πότερον.* Contra: *Τὸ δὲ ταὐτὸν ἕτερον ἀποφαίνειν ἀμηγέπῃ καὶ τὸ θάτερον ταὐτὸν καὶ τὸ μέγα σμικρὸν κ. τ. λ.; καὶ χαίρειν οὕτω τἀναντία ἀεὶ προφέροντα ἐν τοῖς λόγοις,*

Digitized by Google

λόγοις, οὔ τέ τις ἔλεγχος οὗτος ἀληθινὸς ἄρτι τε τῶν ὄντων τινὸς ἐφαπτομένου δῆλος νεογενὴς ὤν· 259. d.

Neque ulla alia connectendi ratio apud Platonem quaeri potest, si quis eius disciplinae naturam, philosophiae eius caput consideret.

Quum enim maxime Heracliteo placito de rerum fluxu pariter atque *ἡδονῆς* principio adversetur, quum porro *ἡ μεταβολὴ* nullam aliam apud eum vim habeat, quam ut transitum, interitum, atque id quod termini angustiis circumscriptum, sensuum fallaci et judicio et relationi obedire debeat, significet: non poterat admittere, ut quod ei sit summum, Dei idea in absoluta unitate, et quae ei sint cognatione proximae naturae, species *μονάδες*, unitatem vere relinquerent, si non in infinitam fluxi transitus voraginem submergi vellet. Commiscendi facultas eatenus tantum iis indulgenda erat, quatenus earum ipsarum unitatis veritas ea indigeret; atque eatenus tantum ad varietatem et differentiam descendere concedendum, quatenus haec ipsa varietas eo tamquam suae ipsius exsistentiae fundamento indigeret.

Haec omnia ***participandi categoria*** *) praestantur — quae unitatis et varietatis disjuncta elementa inter-

*) cf. Aristot. metaph. ed. Brandis p. 20. *τὰ μὲν οὖν τοιαῦτα τῶν ὄντων ἰδέας προσηγόρευσε, τὰ δ' αἰσθητὰ παρὰ ταῦτα καὶ κατὰ ταῦτα λέγεσθαι πάντα· κατὰ μέθεξιν γὰρ εἶναι τὰ πολλὰ τῶν συνωνύμων τοῖς εἴδεσι. Τὴν δὲ μέθεξιν τοὔνομα μόνον μετέβαλεν οἱ μὲν γὰρ Πυθαγόρειοι μιμήσει τὰ ὄντα φασὶν εἶναι τῶν ἀριθμῶν, Πλάτων δὲ μεθέξει· τὴν μέντοι γε μέθεξιν ἢ τὴν μίμησιν, ἥτις ἂν εἴη τῶν εἰδῶν, ἀφεῖσαν ἐν κοινῷ ζητεῖν·* p. 32. *τὸ γὰρ μετέχειν, ὥσπερ καὶ πρότερον εἴπομεν, οὐθέν ἐστιν·* pag. 30. *τὸ δὲ λέγειν παραδείγματα αὐτὰ εἶναι καὶ μετέχειν αὐτῶν τἆλλα κενολογεῖν ἐστι καὶ μεταφορᾶς λέγειν ποιητικάς. Τί γάρ ἐστι τὸ ἐργαζόμενον πρὸς τὰ ἰδέας ἀποβλέπον;*

Digitized by Google

medius quasi interpres conciliat, facilis quaedam et commoda natura, in qua prorsus disjuncta, nulla inter ea ipsa inita conjunctione, quasi „per se pertinent;" quâ disjuncta commiscentur, nulla conjunctorum ipsorum in miscendo facta mutatione, ita ut prorsus intacta maneant et immutata; qua machina tota Platonica specierum arx fulcitur et sustentatur.

Sicut enim de dialectica specierum ratione disquisitiones in Sophista eum quoque habent propositum finem, ut *τὸ μὴ ὄν* statuatur et figatur; ita in Phaedone eo adhibentur, ut animae immortalitas demonstretur.

Ibi enim sic Plato: (102. e.) *οὐδὲ ἄλλο οὐδὲν τῶν ἐναντίων, ἔτι ὂν ὅπερ ἦν, ἅμα τοὐναντίον γίγνεσθαί τε καὶ εἶναι· ἀλλ' ἤτοι ἀπέρχεται ἢ ἀπόλλυται ἐν τούτῳ τῷ παθήματι·*

103. b. (*τότε μὲν γὰρ ἐλέγετο*) *ἐκ τοῦ ἐναντίου πράγματος τὸ ἐναντίον πρᾶγμα γίγνεσθαι· νῦν δέ, ὅτι αὐτὸ τὸ ἐναντίον ἑαυτῷ ἐναντίον οὐκ ἄν ποτε γένοιτο, οὔτε τὸ ἐν ἡμῖν, οὔτε τὸ ἐν τῇ φύσει· τότε μὲν γὰρ περὶ τῶν ἐχόντων τὰ ἐναντία ἐλέγομεν, ἐπονομάζοντες αὐτὰ τῇ ἐκείνων ἐπωνυμίᾳ· νῦν δὲ περὶ ἐκείνων αὐτῶν*), *ὧν ἐνόντων ἔχει τὴν ἐπωνυμίαν τὰ ὀνομαζόμενα.*

105. a. *ἀλλ' ὅρα δὴ εἰ οὕτως ὁρίζῃ, μὴ μόνον τὸ ἐναντίον τὸ ἐναντίον μὴ δέχεσθαι, ἀλλὰ καὶ ἐκεῖνο ὃ ἂν ἐπιφέρῃ τι ἐναντίον ἐκείνῳ ἐφ' ὅ τι ἂν αὐτὸ ἴῃ, αὐτὸ τὸ ἐπιφέρον τὴν τοῦ ἐπιφερομένου ἐναντιότητα μηδέποτε δέξασθαι ..... d. ἡ ψυχὴ ἄρα ὅτι ἂν αὐτὴ κατάσχῃ, ἀεὶ ἥκει ἐπ' ἐκεῖνο, φέρουσα ζωήν .... οὐκ-*

---

*) Phaedon. 74. b. *Τί δὲ, αὐτὰ τὰ ἴσα ἔστιν ὅτε ἄνισά σοι ἐφάνη, ἢ ἡ ἰσότης, ἀνισότης; οὐδεπώποτέ γε, ὦ Σ.*

Digitized by Google

οὖν ἡ ψυχὴ τὸ ἐναντίον ᾧ αὐτὴ ἐπιφέρει ἀεὶ, οὐ μήποτε δέξηται ... e. ἀθάνατον ἄρα ἡ ψυχή.

p. 78. d. *αὐτὸ τὸ καλὸν .... ἢ ἀεὶ αὐτῶν ἕκαστον, ὅ ἐστι μονοειδὲς ἄν, αὐτὸ καθ' αὑτὸ ὡσαύτως κατὰ ταὐτὰ ἔχει, καὶ οὐδέποτε οὐδαμῇ οὐδαμῶς ἀλλοιωσιν οὐδεμίαν ἐνδέχεται.* Sed: *τὰ πολλὰ καλά* mutationem subeunt: *οὔτε αὐτὰ αὐτοῖς, οὔτε ἀλλήλοις οὐδέποτε, ὡς ἔπος εἰπεῖν, οὐδαμῶς κατὰ καὐτά ἐστιν.*

Apparet hoc porro ex illo loco, ubi de naturae contemplatione ex causis efficientibus agit, deque Anaxagorae *νῷ*: p. 100. b. ... *καὶ ἄρχομαι ἀπ' ἐκείνων, ὑποθέμενος εἶναί τι καλὸν αὐτὸ καθ' αὑτὸ, καὶ ἀγαθόν, καὶ τἆλλα πάντα .... c. φαίνεται γάρ μοι, εἴ τι ἐστὶν ἄλλο καλὸν πλὴν αὐτὸ τὸ καλὸν, οὐδὲ δι' ἕν ἄλλο καλὸν εἶναι, ἢ διότι μετέχει ἐκείνου τοῦ καλοῦ. Καὶ πάντα δὴ οὕτω λέγω.* d. *τοῦτο δὲ ... ἔχω παρ' ἐμαυτῷ, ὅτι οὐκ ἄλλο τι ποιεῖ αὐτὸ καλὸν, ἢ ἐκείνου τοῦ καλοῦ εἴτε παρουσία, εἴτε κοινωνία, εἴτε ὅπη δὴ καὶ ἅπως προσγενομένη· οὐ γὰρ ἔτι τοῦτο διισχυρίζομαι, ἀλλ' ὅτι τῷ καλῷ πάντα τὰ καλὰ γίγνεται καλά.*

p. 101. b. *ἑνὶ ἑνὸς προστεθέντος, τὴν πρόσθεσιν αἰτίαν εἶναι τοῦ δύο γενέσθαι, ἢ σχισθέντος, τὴν σχίσιν, οὐκ εὐλαβοῖο ἂν λέγειν; καὶ μέγα ἂν βοῴης ὅτι οὐκ οἶσθα ἄλλως πως ἕκαστον γιγνόμενον, ἢ μετασχὸν τῆς ἰδίας οὐσίας ἑκάστου, οὗ ἂν μετάσχοι· καὶ ἐν τούτοις οὐκ ἔχεις ἄλλην τινὰ αἰτίαν τοῦ δύο γενέσθαι, ἀλλ' ἢ τὴν τῆς δυάδος μετάσχεσιν· καὶ δεῖν τούτου μετασχεῖν τὰ μέλλοντα δύο ἔσεσθαι, καὶ μονάδος, ὅ ἂν μέλλῃ ἓν ἔσεσθαι.*

Hoc cardine Platonica doctrina vertitur. Vita et

Digitized by Google

mors in sese invicem abeunt*); sed non per se ipsae, non in summa et purissima forma, quae est idea. Quoad enim hae sunt, prorsus sunt a se invicem disjunctae. Vita, hac quidem vi, est *anima***), nullius mutationis capax; (pariter ut morbi summa et purissima forma febris est; imparis Unitas) mors interitus, solutio***).

Quod Plato dixit, e contraria re oriri contrariam — hoc de mutationis substratis valebat, quoad mutationis vis in ea se exserit. Hinc illud quod dicit res contrariorum *participes esse*. Omnia quae sic participant eatenus sub mutationis categoriam cadunt. (Quin etiam ideae.) Sic *in corpore* transitus apparet vitae et mortis; vivum est, animatum: — vita ipsa, *anima* non est; haec enim quoad est ea, immortalis est. Corpus vero tantum particeps est, *ideoque et contrarii: mortis*.

In Philebo, ut ad finem ei propositum perveniatur, qui est, depressa voluptate explicitisque essentitiae genitae elementis, locum obtinere, cui vitae vera et perfecta societas tamquam fundamento innitatur — id quod medium est inter essentiam et transitum, utriusque particeps, sub perfectae *συγκράσεως* forma inducitur, — summum aliquod pro natura humana, in quo participandi categoria ad summam quoad ejus fieri potest perfectionem exacta est.

P. 15 b. *Εἶτα πῶς αὖ ταύτας (μονάδας) μίαν ἑκάστην οὖσαν ἀεὶ τὴν αὐτὴν, καὶ μήτε γένεσιν μήτε ὄλεθρον προσδεχομένην, ὅμως εἶναι βεβαιότητα μίαν*

---

*) p. 71. d.
**) p. 105. c. d.
***) ibid.

Digitized by Google

*ταύτην, μετὰ δὲ τοῦτ', ἐν τοῖς γιγνομένοις αὖ καὶ ἀπείροις εἴτε διεσπασμένην, καὶ πολλὰ γεγονυῖαν θετέον, εἴθ' ὅλην αὐτὴν αὑτῆς χωρίς· ὃ δὴ πάντων ἀδυνατώτατον φαίνοιτ' ἂν, ταὐτὸν καὶ ἓν ἅμα εἶναι καὶ ἐν πολλοῖς γίγνεσθαι**). *Ταῦτ' ἐστι τὰ περὶ τὰ τοιαῦτα . . . . ἁπάσης ἀπορίας αἴτια, μὴ καλῶς ὁμολογηθέντα, καὶ εὐπορίας ἂν αὖ καλῶς.*

Quae recta distinctio est *τὰ ὁπόσα***): multitudo determinata. P. 17 a. *οἱ δὲ νῦν τῶν ἀνθρώπων σοφοὶ ἓν μὲν, ὅπως ἂν τύχωσι, καὶ πολλὰ θᾶττον καὶ βραδύτερον ποιοῦσι τοῦ δέοντος, μετὰ δὲ τὸ ἕν, ἄπειρα εὐθύς· τὰ δὲ μέσα αὐτοὺς ἐκφεύγει. Οἷς διακεχώρισται τό τε διαλεκτικῶς πάλιν καὶ τὸ ἐριστικῶς ἡμᾶς ποιεῖσθαι πρὸς ἀλλήλους τοὺς λόγους.*

In utroque definiendi modo, et quum a generali per specialia ad singula descendimus, versaque vice; ad determinatam multitudinem in medio positam attendendum erit: p. 16. d. *δεῖν οὖν ἡμᾶς αἰεὶ μίαν ἰδέαν — χαίρειν ἐᾷν*".

Sed in utraque quaestione et de perfecta *συγκράσει* instituta et de numero in medio posito, sive de specierum distinctione, Unius et multorum etc. species nullam per se invicem mutationem subeunt.

Extra tertium illud, in quo ad rerum formationem sive in cognitionis finem conveniunt, manet quaeque per se quod erat, licet valore perquam impari, quum altera sit id quod intellectu est praeditum, formans; altera materia, forma carens. Unum, quod fines et terminationem in se habet — *καὶ μὴν τόγε πέρας οὔτε πολλὰ εἶχεν, οὔτ' ἐδυσκολαίνομεν, ὡς οὐκ ἦν ἓν*

---

*) Schleiermacher, Platons Werke II. 3. p. 476.

**) Phileb. p. 16. d.

Digitized by Google

φύσει p. 26 d. — est et manet prorsus liberum ab eo quod συγκράσει determinatum erat, multitudine determinata; extraque huius fines propriam suamque exsistentiam conservat; et sic quoque quartum, συγκράσεως effectrix, plane per se constans reliquis non obnoxium est.

Quod jam diximus, nimis stricte positum est discrimen inter Esse et Fieri; et quamvis Eleatica stabilitas nulla hic adsit (id quod inde jam apparet, quod positione τοῦ μὴ ὄντος Parmenidea ratio convertitur), quamvis motus etiam ut vitae principium *) absolutumque exordium statutus in ipsa summa unitate praesens appareat: attamen hic ipse motus in propria sua unitate strictius figitur, quam ut omnium illarum monadum systema e vigoris ipsi insiti natura (inferioris motus, materiae proprii, ex oppositu) evolvi, quam ut ex ejus fonte species et ex se et per se invicem gigni possint.

Hoc recentior philophia sibi injunxit praestandum, et vere videtur praestitisse e nostro quidem qualicumque judicio. In quam rem altius inquirere ut hujus vel maxime est loci ita hoc negotium amoliendum a nobis videbatur verentibus, ne sermonis penuria circumventi, — eorum quae philosophandi progressus nova invexit non satis capacis, — gravissimum argumentum caligine potius obvolvamus quam illustremus.

Constituit quidem Plato discriminis naturam modo recentiori philosophiae prorsus congruo, quibusque usus

---

*) Sophista p. 248. e. τί δαὶ, πρὸς Διός; ὡς ἀληθῶς κίνησιν, καὶ ζωὴν, καὶ ψυχὴν, καὶ φρόνησιν, ἢ ῥᾳδίως πεισθησόμεθα τῷ παντελῶς ὄντι μὴ παρεῖναι; μηδὲ ζῆν αὐτὸ, μηδὲ φρονεῖν, ἀλλὰ σεμνὸν καὶ ἅγιον νοῦν οὐκ ἔχον ἀκίνητον ἑστὼς εἶναι;

Digitized by Google

est rerum vocabulis, ea ipse Hegelius in logice retinuit. Sic in Parmenide legitur p. 146: „εἰ τού τι ἕτερόν ἐστιν, οὐχ ἑτέρου ὄντος ἕτερον ἔσται; 164 ἕτερον δέ γέ πού φαμεν τὸ ἕτερον εἶναι ἑτέρου, καὶ τὸ ἄλλο δὴ ἄλλο εἶναι ἄλλου; ναί."

Sed haec omnia intra se ipsa permanent; firmiter mutationis notioni abstractae adhaerentia; neque, e negativae relationis orbe egressa, in eam unitatem comprehenduntur et tolluntur, qua vere affirmativam vim accipiunt, essentiamque vere et proprie sic dicendam nanciscuntur.

Sic ex. gr. Varietas eorum quae sensibus sunt subjecta, et Infinitum verius et definitius accipi non potest, quam a Platone est factum; verissimeque totum illud Fieri et Mutari ut sensibile, finitum, unitate destitutum, eaque in quae illud Mutari cadit ut notionis veritati inconvenientia, ad eam non pertinentia accipiuntur; sed aliud est illud Fieri ejusque substrata, *aliud ejus notio.* Vera ejus unitas ea est essentiae veritate et immortalitate, qua ipsum immortale. In ea quoque contemplantis seque manifestantis mentis forma cernitur.

Sic porro individuum in Parmenide ut ad se ipsum exsistens capitur (p. 158: τό γε ἕκαστον εἶναι ἓν δή που σημαίνει, ἀφωρισμένον μὲν τῶν ἄλλων, καθ' αὑτὸ δὲ ὄν, εἴ περ ἕκαστον ἔσται.) *) — quae distinctio, gravissima illa, ab Hegeliana logica recepta est: eo tamen accedente discrimine, quod hic notio dialectice est explicata, apud Platonem vero in monadis abstra-

*) Conf. Aristot. metaph. (ed. Brandis) IV. p. 112. τὸ καθ' αὑτὸ ἀνάγκη λέγεσθαι . . . ἔτι ὅσα μόνῳ ὑπάρχει καὶ ᾗ μόνον· διὸ τὸ κεχωρισμένον καθ' αὑτό.

Digitized by Google

cta forma apparet, quae plane hic in suo loco notionisque proprietate ipsa postulari non poterat non videri.

Quam multum Platonis interfuerit, ut oppositio concilietur et solvatur, quam enixe ubique id agat, ut summae unitatis ideae omnia subjiciat ad eamque evehat, id, ad dialecticam philosophiae eius partem si respicimus, locupletissimum est argumentum, quod idearum nulla in perfecta et summa separatione per se exsistere statuitur, quod omnes ut exsistant, essentiae participes esse debent, ipsa vero essentia Ejusdem, etc.; quae cognitio fundamentum est dialecticarum Parmenidis partium in quibus tam egregie proponitur.

Eoque tantum Platonica dialectica laborat, quod haec conjunctio in superficie, ut ita dicam, notionum instituitur, neque ex interna sua necessitudine demonstrata est: quia substantia intelligibilis nondum eam sese evolvendi facultatem adepta est, quae fons est notionum vere et necessario ex sese eliciendarum, quaeque verum dialectices systema et *ὄργανον*, intima membrorum necessitudine connexum, componere una valet.

Digitized by Google

CURRICULUM VITAE.

Natus sum Berolini d. XIII m. Decembris anno MDCCCVI, patre *Carol. Frid. Werder*, mercatore. Gymnasium Joachimicum quod hic floret per sex annos adii, ibique iis literis imbutus sum, quibus juvenilis aetas institui solet. E praeceptoribus, quorum omnium memoriam pio animo recolo, nominandi mihi sunt beat. *Abeken* et illustrissimus *Zumptius*, ut quibus plurimum debeam. Anno MDCCCXXV academiae Berolinensis civibus adscriptus sum rectore beat. *Rudolphi*, jurisprudentiae operam daturus, ad quam non tam interno amore, quam cuinam alii studiorum generi me dicarem ignarus, delatus sum. Quam tamen ignorantiam beat. *Hegelii* lectiones mox quum amovissent, ejus institutioni totum me tradidi omnesque ejus frequentavi lectiones, quibus quantum sim adjutus, nunquam satis potero dicere. Nec tamen in philosophia sola acquiescendum mihi videbatur; interfuique praeterea summi *Boeckhii* philologicis, ill. de *Raumeri* historicis, ill. *Ermanni* physicis scholis, quibus ut hic palam summas gratias agam, pietatis officium efflagitat.

Digitized by Google

Digitized by Google

THESES.

1. *Qui postulant, ut philosophia ab omnibus intelligatur, ipsos quid velint nescire.*

2. *Disputandi artificium ut esse ingenii, ita ad scientiam non pertinere.*

3. *Sine ira et studio scribere, non partium studio vacare historicum debere.*

4. *Unicum Romanorum germanum poëtam esse Tacitum.*

5. *Argumentis philosophicis parum sufficere linguam Latinam.*

6. *Libertatis notionem apud antiquos populos prorsns abhorrere a nostra.*

Digitized by Google

Princeton University Library
32101 058723618

Digitized by Google